

[illegible]

Jean Commire 1625–1702

one of the hymn writers cf 172

in for the Paris Breviary


of 1736

J 600 refers to

Perfusus ora lachrymis

I do not find it

here.



— Le même, édit. noviss. Barbou, 1714, 2 in-12 et front., rel. pl. bas. 5 —

JOANNIS

Ex lib. Abbatiae Sti Joannis in Valle Carnot.

COMMIRII

E SOCIETATE JESU

CARMINA.

TERTIA EDITIO
auctior & emendatior.

Sti Joannis Carnot.



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud Viduam SIMONIS BENARD,
viâ Jacobæâ, è regione Collegii
Ludovici Magni.

M. DC. LXXXIX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.


DEDICATIO OPERIS.

FERNANDUS PADERÆ MITIS REGNATOR AMOENÆ,
CUI VOLVET FAMULAS ALPHA SICAMBER AQUAS:
CARMINA QUÆ NOCTI ÆTERNÆ MANDAVERAT AUCTOR,
IN LUCEM VOLUIT PÆNE COACTA DARI.
ERGO HABEAT SIBI LEGITIMO QUOQUE JURE PARENTIS:
PROPRIA NAM DONIS FECERAT ANTE SUIS.
AT TU, SI QUA PLACENT, ILLI GRATABERE LECTOR:
ET VENIAM, SI FORS DISPLICUERE DABIS.



JONAS.

CELSISSIMO PRINCIPI
FERDINANDO
EPISCOPO PADERBORNENSI, &c.



Ernande, Angariæ claro sate sanguine gentis;
Cui caput inclinans famularem subjicit urnam
Luppia; quem dominum sibi mox emet omnibus undis
Amisius: mentem curis ingentibus ægram
Turbato super orbe, novi & discrimine belli,
Fas mihi sit grato tantisper solvere cantu.
Sacra fero Vates olim quæ fudit Ionas
Carmina: sacra decent divinum carmina Vatem.
Heu! quibus ille malis terrâ jactatus & alto,
Spreta luit Superûm mandata, fugamque rebellem!
Pertulit eversum fundo mare, pertulit iras
Ventorum, cæli conjuratosque tumultus:
Et per mille neces mortem non repperit unam.
Naufragiique obiit casus, graviore superstes
Naufragio: meruitque animam servare sub undis,
Solveret ut longas producto funere pœnas;
Et quod plus timuit, Niniven servatus adiret.
Immitem tanto stetit optavisse Tonantem!

Hunc iterum Latiis ſævos memorare labores
Edoctum numeris, tua nunc ad limina ſiſto;
Viſurum Aſſyria quod non ſpectavit in aula.
Dum meditor majore ſono te dicere, Princeps,
Fortunæque pares animos, famamque perennem,
Et priſci æquatos jam Mæcenatis honores
Muneribus Vatum. Nec me certaſſe negabo
* Grotiadæ. Quanquam magni cognominis umbra,
Majus & ingenium, cœpto abſterrere duello
Fidentem nec Marte pari, nec viribus æquis,
Debuerant. Sed enim quandoque laceſſere cantu
Garrula per ſilvas Philomelam gaudet Acanthis,
Belligeroſque tubæ ſonitus imitatur arundo.
Ergo nec egregio me compoſuiſſe Poëtæ,
Nec palmam ceſſiſſe pudet. Solatia tantus
Magna mihi præbet victor. Nec gloria deerit,
Si tibi vel victus non diſplicuiſſe merebor.

* Extat H. Grotii elegantiſſima in Jonam Paraphraſis, initio Poëticorum ejus Operum.






PROPHETIA JONÆ.

CAP. I. *ET factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens : Surge & vade in Niniven civitatem grandem ; Et prædica in ea :*

Quia ascendit malitia ejus coram me.

Et surrexit Jonas ut fugeret in Tarsis à facie Domini.



IN JONÆ PROPHETÆ HISTORIAM PARAPHRASIS.

URBS fuit Aſſyrio Ninive fundata tyranno;
Exuviis Aſiæ, mundique ſuperba ruinis:
Quæ quantùm ante alias ſe mole opibuſque ferebat,
Tantùm flagitiis ultricem Numinis iram,
Inque ſuas fulmen commoverat impia pœnas.
At Pater omnipotens lentus punire nocentes,
Dumque tonat veniæ non immemor; antè rebellem
Pertentare minis populum, reſolutaque luxu
Corda parat: ſi fortè metu commiſſa retractent,
Ac pacem ſtudeant lacrymis vitamque mereri.
Ergo his Amathiden ultro compellat Ionam,
Os cui fatidicum, mens & præſaga futuri.
Surge, ait, & celerem Ninives ad mœnia magnæ
Tende gradum: raptoſque infanda per omnia cives,
Securumque mei, fœdaque in pace jacentem
His Regem extimula dictis: Mihi denique veſtra
Vim facit impietas, poſcitque à vindice juſto
Supplicium. Denſo jam fertur ad æthera nubes
Vortice, in exitium generis reditura profani,
Et veſtra abſolvet clemens per funera Numen.
Sic Vati Deus. Ille gravi parere recuſans
Imperio, Tarſum diverſus abire parabat.

Et descendit in Joppen :

Et invenit navem euntem in Tarsis :

Et dedit naulum ejus , & descendit in eam, ut iret cum eis in Tarsis à facie Domini.

Dominus autem misit ventum magnum in mare : & facta est tempestas magna in mari :

Et navis periclitabatur conteri.

Et timuerunt nautæ,

Et clamaverunt viri ad Deum suum.

Et miserunt vasa quæ erant in navi in mare, ut alleviaretur ab eis.

Et Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi.

Heu ! demens, ſperet qui fallere cuncta tuentem
Poſſe oculum ! Jamque Iapeti cognomine litus,
Diluviique undas expertæ mœnia Joppes
Attigerat. Velis tum fortè carina ſolutis
Exibat portu, Cilicis longè oſtia Cydni,
Subjectamque petens Tauri radicibus urbem.
Infelix comitem ſeſe vectoribus addi
Exorat pretio Vates ; multoque paciſci
Naufragium ære ſibi gaudet, funuſque ſub undis.
Namque ubi ripa oculis fugiens telluſque receſſit;
Ecce, Deo laxante, immanis turbine ventus
Tranquillum ſubitò vertit mare. Fulgura cælo
Crebra micant, fulmenque volat ſine nube per auras
Excuſſum, nec ſe natura agnoſcit in illo.
Tempeſtaſque aliis innoxia perfurit unam
Circum fuſa ratem : nec fluctu velle videtur
Simplice, ſed toto laceram ſubmergere ponto.
At trepidi nautæ præſentis imagine leti,
Magna nequicquam plorantes voce ciebant
Belumque, Aſtartenque, & miſtum piſce Dagona,
Et quos cuique Deos finxiſſet dira cupido,
Vel timor. Heu ! quid opis mortali numina ferrent
Sculpta manu ? tumidum magis ac magis æſtuat æquor :
Sidentemque trahat ſub iniquo faſce carinam ;
Ni pictos properent, jam pondus inutile, Divos,
Prælataſque ipſis pelago devolvere merces.
Projiciuntur opes pretiumque & cauſa laborum,
Illuſæ veſtes auro, Sidonia texta,
Et meſſes Arabum, & ſpirantis munera coſti,
Ludibrium ventis : it barbara gaza ſub undas.
Ipſe autem interea navim delapſus in imam
Carpebat ſomnos, altoque ſopore jacebat
Ignarus Vates rerum, oblituſque pericli.
Seu feſſos artus longoque exercita curſu
Hauſit membra quies : ægro ſeu pectore mæror

Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.

Et dixit vir ad collegam suum: Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis.

Et miserunt sortes; & cecidit sors super Jonam.

Et dixerunt ad eum: Indica nobis cujus causâ malum istud sit nobis? quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu?

Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? cognoverunt enim viri quòd à facie Domini fugeret, quia indicaverat eis. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat & intumescebat. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim ego quoniam propter me tempestas grandis venit super vos.

Incumbens, pigra ſenſus caligine merſit.
Quem ratis indignans querulo ſic ore magiſter
Excitat: Unde tibi mortis diſcrimine tanto
Iſta quies, molleſque alieno tempore ſomni?
Quin age, ſi qua tibi tulit exorabile Numen
Religio, placa votis & ſupplice cultu,
Præſtet opem ut miſeris, patriamque reviſere donet.
Nec minùs illa virum ſurgit ſententia menti,
Exoſum ſuperis caput, auctoremque malorum
Puppe vehi, ac tanto cælique ſalique tumultu
Depoſci ad pœnas. Moveatur ſortibus urna,
Exclamant omnes, & fato judice monſtret
Cujus ſupplicio crimen commune piandum.
Dicta placent: fati interpres producitur urna:
Atque ibi, ſorte reus miſſa damnatur Ionas;
Casûque arbitrium casûs mens arbitra rexit.
Illum immotum animis, & ſe meruiſſe fatentem
Vectores circum ſiſtunt, ac quærere certant,
Quo tantam infelix meruiſſet crimine cladem.
Quod vitæ genus, unde domo, quis ſanguinis auctor,
Et quò vertat iter. Sedato corde reponit
Amathides: Mihi clara Hebræâ è ſtirpe propago:
Caſta rite Deum veneror formidine, cæli
Qui tenet imperium, liquidi qui marmoris undas,
Telluriſque globum nutu omnipotente creavit.
Atque utinam non contrà animo certare rebelli,
Et ſanctis voluiſſem obſiſtere perfuga juſſis.
Diriguere metu nautæ, geliduſque per artus
Sudor iit; haſque in voces vix ora recludunt:
Quicquid id eſt quo te ſontem mens conſcia mordet;
Sive fugam, ſive ille ſui Deus arguit ulter
Contemtum imperii; dic quà fas deinde tumentis
Exorare minas pelagi, ventique furorem?
Ille autem contrà fidens: Me me ociùs, inquit,
Tollite, quem veſtris ſua fata adverſa ſequuntur;
Et jactate mari. ſic ponet mitior unda,

Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos. Et clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius: & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti.

Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare.

Et stetit mare à fervore suo.

Et timuerunt viri timore magno Dominum: & immolaverunt hostias Domino, & voverunt vota.

CAP. II. *ET præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam.*

Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus.

Unius & miseri pœnâ placata quiescet.
Mirantur nautæ impavido sic ore locutum,
Indignæque timent morti demittere lucis
Contemtricem animam. Remis hinc valdiùs æquor
Luctati ruere, ac ripis advertere proram
Incassum. Terræ fluctu crescente recedunt
Longiùs ex oculis, vincitque procella laborem.
Cedimus, exclamant, quando tua certa voluntas
Visque invicta jubet, rerum summe Arbiter & Rex:
Devotumque tibi nil jam mactare moramur
Hoc quodcumque caput, sacroque aspergere fluctus
Sanguine. Sed cædem vindex adscribere parce
Immeritis, tua quos faciunt mandata nocentes.
Hæc ubi dicta, levant dextris; & puppis ab alto
Præcipitem mittunt, aversi lumina, Vatem.
Atque cadente illo cæli furor omnis & undæ
Concidit: arridet flatu levis aura secundo,
Et desperatam promisit reddere Tarsum.
Tum verò magna objessi formidine mentem
Vectores, sibi tot monstris & sospite vita
Expertum, cultu venerantur supplice Numen;
Cúmque suo tandem portu successerit alnus,
Votivis spondent cumulare altaria donis.
Immenso interea torquens sub pectore fluctus,
Acta Dei nutu pistrix sectatur Ionam,
Gurgitibus mediis luctantem, & vana moventem
Brachia: deprensumque immani sorbet hiatu.
Non tamen & sævos membris infigere dentes
Ausa fuit, metuitque suam contingere prædam.
Tres adeo soles, totidemque ex ordine noctes,
Cæco inclusum utero perhibent servasse sub undis.
Ne tamen ah! tantis incredula demere rebus
Corda fidem sperate, idem quæ testis & auctor
Astruit, & toto juratus Numine firmat.
Quid faciat vivo portatus carcere Vates,
Inque suo spirans tumulo, pontique furorem

Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, & dixit:

Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me.

De ventre inferi clamavi, & exaudisti vocem meam.

Et projecisti me in profundum in corde maris: & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt.

Et ego dixi: Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me: pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum.

Et sublevabis de corruptione vitam, Domine Deus meus. Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam tuam derelinquunt.

Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.

Et dixit Dominus pisci: & evomuit Jonam in aridam.

CAP. III. ET *factum est verbum Domini ad Jonam secundò dicens: Surge, &*

Naufragio elapsus? Dominum lenire precando
Aggreditur, vota afflicto quando una supersunt:
Et templum oranti piscis fuit. Horrida quamquam
Monstrorum facies, & plurima noctis imago
Stet circùm, vitæque extremo in limite claudat:
Non tamen ex animo, Genitor, fiducia cessit
Ulla tui: Longè obscœnæ pistricis ab alvo
Clamantem exaudis; imique è faucibus Orci
Eluctata moras omnes vox fertur Olympo.
Heu! quianam tanto voluisti perdere sumtu
Vilem animam; pelagique immensam advolvere molem
Undasque fluctusque feros & flumina salsis
Interfusa vadis? tot in unum armare procellas,
Rex invicte, caput placuit! sic notus Ionas?
Et nunc ille tamen superis exclusus ab oris,
Aspectuque tuo, stellantia visere templa
Sperat adhuc. Rapido pontus circumtonet æstu:
Obsidatque viam vallo prætenta sonanti
Tempestas. Rupes, æterna repagula, & altos
Imponat tellus montes, ne quà fuga captum
Expediat: tamen hanc vitam, te Patre, tuebor.
Et spes illa animum memorem sub nocte profunda
Solatur, sacras fore rursum ut sistar ad ædes
Damnatus voti, promissaque munera solvam.
Non hi sacrilegis mores, quos vana fefellit
Relligio. Mundi auctorem, fontemque bonorum
Ingrati abjiciunt: nec eos prærepta Tonanti
Dona pudet limo cretis apponere Divis.
Me verò juvat Isacidum solennia ferre
Sacra tibi, & grato cum carmine dicere laudes.
Mota Dei pietas precibusque & supplice fletu,
Occultis piscem stimulis induxit; at ille
Acceptum revomens immani pectore Vatem,
Fidus depositi, molli projecit arena.
Cui rursum mundi Rector placidissimus infit:
I, pete festinus Niniven, urbique superbæ
Nunc tandem ferre imperia, ultricesque memento

vade in Niniven civitatem magnam : & prædica in ea prædicationem , quam ego loquor ad te.

Et surrexit Jonas , & abiit in Niniven juxta verbum Domini.

Et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum.

Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius ; & clamavit , & dixit : Adhuc quadraginta dies , & Ninive subvertetur.

Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum : & prædicaverunt jejunium.

Et vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.

Et pervenit verbum ad Regem Ninive.

Et surrexit de solio suo , & abjecit vestimentum suum à se ; & indutus est sacco , & sedit in cinere.

Et clamavit , & dixit in Ninive ex ore Regis & principum ejus , dicens :

Intentare iras, populiſque inſtantia fata.
Ille memor, nil jam domino parere moratur,
Acceleratque gradum. Nec longum tempus, & altos
Proſpexit muros, ſtelliſque minantia tecta.
Miratur vaſtis æquam regionibus urbem,
Et quam, ſi recto percurrere limite certes,
Antè jubar clauſo ter Phœbus condet Olympo,
Arctari turbis tamen, anguſtamque videri.
Ergo viæ tantum ingreſſus, quantum una ſinebat
Ire dies, magna clamat per compita voce,
Nuncia venturæ pandens oracula cladis.
Cùm bis vicenos Titan abſolverit orbes,
Triſte ſibi fiet Ninive ſubverſa ſepulcrum.
Reſponſa excipiunt trepidi cæleſtia cives,
Atque minis habuere fidem. Tum dura per omnes
Indicunt ſibi quiſque domos jejunia, opimis
Et longam juſſere famem ſuccedere menſis.
Quin veſtes & ſueti humeris ponuntur amictus:
Patreſque & pueri, & miſta cum plebe ſenatus,
Cyniphio incedunt velati corpora ſacco.
Regalem interea rumor defertur in aulam
Adveniſſe virum, genti qui triſtia fata
Inſtigante Deo canat, & commune minetur
Exitium. Luxu Ductor reſolutus inerti
Aſſyrius, longumque trahens inglorius ævum,
Vivebat longè curis bellique tumultu,
Inter femineoſque greges, Venerisque nefandæ
Delicias. Huic tum feralis nuncius aures
Perculit, inſuetas humanum audire laborem.
Palluit auditis, crimenque agnovit, & ipſum
Criminis ultorem. Simul altam à fronte tiaram
Rejicit inſignem gemmis: ſolioque relicto
Sternitur, & trabeam hirſuto velamine mutat.
Dein cinere aſpergit caput, immundoque capillos
Pulvere, malobathri ſuccis nardoque madentes.
Mox etiam lege indicta, procerumque rogato
Concilio, pulla præco ſub veſte per omnes

Homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.

Et operiantur saccis homines & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.

Et convertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum.

Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?

Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala:

Et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.

CAP. IV. *ET afflictus est Jonas afflictione magna, & iratus est; & oravit ad Dominum, & dixit: Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tarsis:*

Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.

Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita.

Anfractus, plateasque urbis miserabile carmen
Integrat: Infelix Ninives, perituraque turba,
Accipite hæc animo. Jejunia solvere mensis
Esto nefas: fesso nec quisquam pabula læta
Quadrupedi, bobusve suis, pecorive ministret:
Neu libare sinat salientem fluminis undam.
Nuda sed intonsis horrescant corpora setis,
Et cælo pariter pecudes pecudumque magistri
Vim faciant fletu. Mæstas attollite voces,
Et votis placate iras, sed pectore verso
Præsertim in melius. Scelerata absistite vita;
Furta dolique absint, & vis cognata rapinis.
Quis scit enim si fata inflexa mente refigat
Omnipotens, veniamque ostenso fulgure donet?
Sic præco attonitam Regis mandata per urbem
Fert populis. Olli obsequio certante sequuntur,
Factisque antevolant monitus. Tenet omnia mæror,
Et soli rumpunt funesta silentia planctus.
Jam non illa manet Ninive famosa suorum
Flagitiis: potuitque etiam desisse videri.
Impietas moresque sui quæruntur in illa,
Nec cælum quod plectat habet: mutataque corda
Mutavere Deum, fulmenque reponere cogunt.
At non ipse animis etiam mutatus Ionas,
Eventuque dolens contraria dicta refelli
Ingemit, & questu Dominum sic urget amaro:
Esto mihi nunc testis, an hóc non antè futurum
Prædixi, patriâ cùm jussus adire relictâ
Assyrium Tigrim, Cilicum fugitivus in oras
Verti iter, ac pelago speravi evadere Tarsum?
Scilicet illa tuæ dudum clementia mentis
Nota mihi, ac pronum semper miserescere pectus,
Et tolerare sciens, sontesque absolvere pœnâ.
Nunc quando exitio gentem servare nefandam,
Meque adeo positis mendacem fingere Vatem
Decrevisti odiis; misero, precor, eripe vitam:
Mors data munus erit. Conantem dicere plura

Et dixit Dominus : Putasne bene irasceris tu ?

Et egressus est Jonas de civitate : & sedit contra Orientem, & fecit sibimet umbraculum ibi.

Et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati.

Et præparavit Dominus Deus hederam :

Et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum, (laboraverat enim) & lætatus est Jonas super hedera, lætitiâ magnâ.

Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum,
& percussit hederam,
& exaruit.

Et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido & urenti : & percussit sol super caput Jonæ, & æstuabat.

Et petivit animæ suæ ut moreretur ; & dixit : Melius est mihi mori quàm vivere.

Singultu & lacrimis vox interclusa refugit.
Atque illum blando incusans Deus ore vicissim,
Cur tantos, inquit, sub pectore volvere fluctus,
Nobisque invidiam pergis conflare querendo?
Credo equidem, justa insani tibi causa doloris
Est super, & meritò immites non exuis iras.
Talia dicentem Vates pertæsus, & ipsum,
Et muros fugiens invisæ deserit urbis:
Conseditque jugo, qua cælum parte recludit
Orta dies. Hîc virgultis & cespite vivo
Angustum raptim properat componere culmen.
Perfruiturque umbris, & frigore subter opaco,
Expectans quæ mox Niniven fortuna sequatur.
Ecce autem noctu exsurgens stirps Numinis almi
Culta manu, (Hebræi nomen fecere cicaion)
Par serpenti hederæ, folioque simillima viti,
Spargebat latè ramos & frondea circùm
Brachia. Quam manè evigilans ut cernit Ionas,
Ut gaudet soles capiti defendere iniquos!
Sed non ille diu foliis lætatus & umbra.
Postera nam mundo noctem cùm pelleret Eos,
Vermis, tetra lues angusto in corpore, serpens
Radici teneræ morsus infixit acutos,
Fibrasque arrosit, vitæ quà succus & humor
Diditur in venas. Tum caudice languida sicco
Deponit crines arbos, & frondis honorem.
Interea rapidis miscentem incendia flammis
Phœbus agit currum: Phœboque immitior Auster
Urit anhelantes ignavo flamine terras.
Æstuat Amathides, geminamque & solis & auræ
Vim se ferre negat, conjuratosque vapores
In caput. Ergo ægræ pertæsus tempora vitæ
Mortem optat, dictisque morantem incusat acerbis:
O si quis fesso nunc denique corpore solvat
Infelicem animam, manesque emittat ad imos!
Redde, oro, pelagique minas, fluctusque sonantes
Vorticibus, Pater: & pistricis rursus opaca

Et dixit Dominus ad Jonam : Putasne bene irasceris tu super hedera?

Et dixit : Bene irascor ego usque ad mortem.


Et dixit Dominus :
Tu doles super hederam,

in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret : quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit.

Et ego non parcam Ninive civitati magnæ,

in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam,

& jumenta multa?




Conde alvo numquam rediturum in luminis auras.
Quem Deus alludens placido ſic excipit ore :
Horrendum verò facinus, tantique doloris
Argumentum ingens ! ſiccis arbuſcula ramis
Si perit, & viridem non ampliùs explicat umbram.
Me tamen iſte urit penitus furor, eſtque medullas,
Amathides inquit : nec, ſi promittere pergas,
Ulla jam lucem libeat mercede mereri.
Tum verò Vatem increpitans ſic intonat alta
Voce Pater : Faſne has humili pro ſtirpe querelas
Integrare tibi, tantoſque incendere luctus ?
Quam non verſa tuo tellus ſummiſit aratro,
Non labor irriguis humoribus auxit adultam :
Sed nox una ſolo peperit, nox una peremit ?
Hanc tamen & verbis, & amaro quærere fletu
Ereptam perſtas. Me lumen gentis Eoæ,
Me gravidam imperiis Niniven non perdere flammâ,
Invidia eſt ? Sed fac dirum meruiſſe nocentes
Exitium. (quamquam ſcelerum jam pœnitet illos,
Et culpas lacrimis dudum abſterſere profuſis.)
Tu decies biſſena hominum demittere leto
Millia vis, dextrâ indoctos diſcernere lævam ?
Qui matrum ah ! flentes nunc prenſant ubera fruſtra
Inconceſſa ſibi ; juſſique exolvere pœnas,
Indignamque famem meritis impendere patrum.
Adde greges, adde impaſtos jam tempore longo
Quadrupedes, mæſtoque armenta gementia queſtu
Fluminis ereptos latices, & graminis herbam.
Hæc Dominum triſti prohibes avertere fato ?
Sic veniam demum excuſat ; cauſamque perorans
Abſolvi meruit, vel Iona judice, Numen.
Utque fides tantis & fama æterna maneret
Prodigiis, caperentque hinc olim exempla nepotes ;
Ipſe reum cunctis Vates ſe prodere ſæclis
Ultro ambit : ſcriptoque volumine, parcere promtum
Nunc quoque teſtatur, lentum punire Tonantem.



DANIEL.

ILLUSTRISSIMO VIRO
CLAUDIO PELLOT
ROTOMAGENSIS SENATUS PRINCIPI.


UM vacat, & Jani redeunt de more Calendis
Otia, paxque fori tota expulit urbe clientes;
Afflatus, PELLOTE, tuos novus advena poſcit.
Nec dubitat quin ſe auratis penetralibus ultro
Accipias, prior & venienti occurrere certes:
Nam meruit, ſuetus menſis accumbere Regum
Regius ipſe nepos; & quo ſe munere gaudet
Eſſe tui ſimilem, cuſtos acerrimus æqui,
Divinus Daniel, ſanctum ac venerabile nomen
Iſacidis. Venit ille iterum defendere caſtos
Judice te ritus, & in impia vertere pœnas
Numina: nil ungues metuens rictuſque leonum,
Quos exoſa viris docuit manſueſcere virtus.
Quin adeo admirans lætabitur & ſua factis
Eſſe tuis æquata, expreſſaſque artibus artes
Egregiis: ſolers veri & penetrabile acumen,
Ac longè eventus prudens anteire futuros;
Conſiliique ſagax, & natum rebus agendis
Ingenium;

Ingenium; fallique ignarum & fallere pectus.
Præcipuè ille fidem dominis per iniqua probatam
Tempora, constantemq; animum, infractumq; periclis
Suspiciet. Quoties insano excîta tumultu
Legum gens inimica, & relligionis honestum
Obtendens sceleri nomen, circumstetit armis?
Cùm nulla interea stricto custodia ferro
Protegeret latus, & tardaret corpore mortem,
Per medios ibas tamen imperterritus enses,
Quò pietas, justique haud mollia jussa vocabant
Principis: æratas acies & inermis & unus,
Vertere terga fugâ subigens, veniamque mereri
Supplicio auctorum. Sed nec te nulla nefandis
Circumventa dolis, damnataque criminis insons,
Ultorem medio Susanna in funere sensit.
Quantus enim & quanto ore tonas, perrumpere jura
Impulerit si quem metus, aut malesuada libido,
Et favor, & donis auroque inflexa voluntas?
Ergo & judicium judex timet, atque severæ
Mox acta expendenda sciens examine libræ,
Cogitur esse probus, nec tentat inutile crimen.
Quid referam duris toties in rebus amorem
Expertum populis? quid te mollita sequestro
Protinus imperia, & placatas Principis iras?
Abductos turbis procul, insanoque tumultu
Consiliis cives; auctamque laboribus urbem,
Versamque in melius sumtu & molimine multo?
Te stadium, PELLOTE, ingens; te Sequana fræenos
Jussa pati, multoque elutæ ponte paludes,
Stagnaque trita rotis, & digesti ordine longo
Ulmorum celebrant versus. Crescentibus illis,
Inscriptæ tecera crescent in cortice laudes.
Et jam coctilibus muris Babylona superbam,
Aëre & in medio pendentes despicit hortos,
Rotomago visa Daniel: aulamque perosus
Hîc potiùs tecum requiescere gaudeat hospes.



DANIELIS PROPHETIÆ

CAPUT XIV.

ERAT autem Daniel conviva Regis, & honoratus ſuper omnes amicos ejus.



DANIEL.

POETICA PARAPHRASIS

AD

PROPHETIÆ EJUS CAPUT XIV.

AMissas Solyme deserti Numinis irâ
Flebat opes, raptamque adytis penetralibus Arcam
Fatalem imperio : patriisque à sedibus exul
Gens Hebræa diu expertum Babylone gemebat
Servitium. Quanquam Assyria floreret in aula
Dignatus mensis Daniel & Regis amore
Præcipuo ; captisque jugum sortemque levaret.
Ille quidem * immensos pro relligione labores,
Invidiâ procerum & vesanæ crimine plebis,
Perpessus : mortisque objecit sponte periclo
Sæpe caput. Seu cùm tumido parêre recusans
Victori, statuæ cultus adhibere profanæ
Egregios vetuit juvenes : seu cùm impia Medi
Edicta, infandasque ausum contemnere leges,
Projecere feris immanè frementibus escam.
Sed meliora Deus servatum in tempora leto
Eripuit, longéque dedit præsciscere mente
Bella forent olim toto quæ maxima mundo,
Sceptrorumque vicem, & Christi immutabile regnum.

* *Vide cap. 3. & 6.*

Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel:

Et impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoræ sex.

Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum:

Porro Daniel adorabat Deum suum.

Dixitque ei Rex: Quare non adoras Bel?

Qui respondens ait: Quia non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit cælum & terram, & habet potestatem omnis carnis.

Et dixit Rex ad eum: Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? an non vides quanta comedat & bibat quotidie? Et ait Daniel arridens: Ne erres, Rex: iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando.

Et nunc ſacrilegos ſenior reſcindere ritus
Inſiſtit; Belum imprimis, cui templa ſuperbo
Mœnibus in mediis ſtabant immania luxu:
Inque diem ingentes ponebant farris acervos,
Balantumque gregem menſis, & grandia Bacchi
Pocula. Proh ſtolidas mentes & neſcia veri
Corda hominum! vino Divum indulgere, feramque
Ingluviem credunt epulis explere per umbras.
Quin etiam cùm ſol radiis recluſerat orbem,
Ipſe Aſiæ rector, magna ſtipante caterva,
Summum ad delubrum greſſus & dona ferebat:
Certatimque focis adolebant thuris odorem
Exemplo inſtincti proceres. Videt impia Vates
Sacra gemens: precibuſque Tonantem & ſupplice cultu
Ipſe palam offenſum miſeris placare laborat.
Non tulit hunc morem, deſpectaque Numina Cyrus
Dedecus eſſe ſuum queſtu teſtatus amaro:
Quin tu, inquit, mecum gentis quoque Belon adoras
Tutelam Aſſyriæ? quo ſe tulit inclyta cælo
Corripiens terras Babylon victricibus armis;
Et Solymam, Solymæque Deum ſervire coëgit.
Olli ſedato reſpondet pectore Vates:
Mortaline excuſa manu me credere ſigna
Eſſe Deos, rigidoque jubes dare thura metallo?
Hunc ſibi præcipiat, meruit qui ſolus honorem,
Vitæ auctor vitæque potens Deus. Illius aram
Faſque piumque mihi ſacro aſperſiſſe cruore.
Ille mare & terras & cæli condidit aſtra;
Regeſque ac populos æquali jure coërcet.
Ergo caſſum animæ, & vitali lumine egentem,
Natus ait Cambyſe, putas, cui pocula rite
Stant ſua, curvatæque gemunt ſub lancibus aræ?
Subriſit Daniel: & te, fortiſſime Regum,
Vana ſuperſtitio ſpecie ne fallat inani.
Namque nefas libare dapes, laticemque Lyæum,

Et iratus Rex, vocavit Sacerdotes ejus, & ait eis: Nisi dixeritis mihi, quis est qui comedat impensas has, moriemini.

Si autem ostenderitis, quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemavit in Bel. Et dixit Daniel Regi: Fiat juxta verbum tuum.

Erant autem Sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus, & parvulis, & filiis.

Et venit Rex cum Daniele in templum Bel.

Et dixerunt Sacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras.

Et tu Rex, pone escas, & vinum misce; claude ostium, & signa annulo tuo: & cùm ingressus fueris manè, nisi inveneris omnia comesta à Bel, morte moriemur; vel Daniel qui mentitus est adversum nos.

Viſceribus luteis ſimulacrum & corpore aheno.
Nocturna exercent alii convivia menſis,
Suppoſti Belo; plebiſque errore fruuntur,
Muneribuſque tuis hilares. His percitus Heros
Infremit: Et patrios, mihi magni Numinis inſtar,
Juro, inquit, manes, ſacrataque buſta meorum:
Beli ignominiam, aut mentitæ crimina cœnæ
Stat ferro ulciſci, letoque piare nocentum.
Aſſenſit dictis Vates, ultroque precatur
Hoc velit ut perſtare animo: ſimul alta petenti
Atria ſe jungit comitem. Ruit obvia portis
Turba Sacerdotum, ramos felicis olivæ
Pacaleſque ferens vittas: quos ordine longo
Natorum uxorumque greges, famulique ſequuntur.
At graviter ſpirans flammato pectore Cyrus
Horrendam intentat mortem, ſi furta fateri,
Ambeſaſque dapes, ſubductaque pocula Belo,
Abnuerint. Illi voces ad ſidera tollunt,
Implorantque Deos. tum cui facundia major,
Atque inſtructa dolis ætas firmaverat ora,
Antiſtes fatur Regi: Suſpecta fides eſt
Quando tibi famulorum, ac nuſquam protegit illos
Religio, fiuntque aliena fraude nocentes;
Securi moriemur, & ipſa in tela ruemus.
Sed noſtro tamen ore ſinas unum antè rogari,
Non inconceſſum miſeris. En protinus omnes
Digredimur templo, vacuaſque relinquimus ædes:
Ipſe aris ſuetas epulas & vina repone,
Clauſtriſque obde fores, regalique imprime gemmâ
Signa ſeris. tum ſi primos ſub luminis ortus
Ingrediens, Beli non omnia protinus ore
Abſumta invenies; nihil eſt cur juſta moremur
Supplicia, & meritas pro crimine ſolvere pœnas:
Sin autem Deus ipſe ſuis certiſſimus auctor
Indicia adventus non inficianda relinquet;
Ne Rex, ne caput hoc ſcelerum, fraudiſque nefandæ

Contemnebant autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, & per illum ingrediebantur semper, & devorabant ea.

Factum est igitur, postquam egressi sunt illi, Rex posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem, & cribravit per totum templum coram Rege: & egressi clauserunt ostium, & signantes annulo Regis abierunt.

Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetudinem suam, & uxores, & filii eorum: & comederunt omnia, & biberunt.

Surrexit autem Rex primo diluculo, & Daniel cum eo. Et ait Rex: Salvane sunt signacula, Daniel? Qui respondit: Salva, Rex.

Primum inventorem, patiare impune per urbes
Grassari Assyrias, patrumque evertere sacra.
Sic illi orantes magnis clamoribus ibant
Ex adytis, altum vultu simulante dolorem.
Quippe minas rident & inanem Principis iram,
Occultis foribus confisi & limite cæco,
Quà furtim soliti clausis irrumpere tectis,
Prædarique cibos. Cunctis tamen æqua videtur
Conditio. Rex ipse fidem pactumque tueri
Pollicitus fœdus, reparat convivia mensis.
At cinerem, gelidamque focis portare favillam
Illius ante oculos famulis edicit, & omne
Instituit Vates conspergere pulvere templum
Succernens cribro: positisque in limine claustris,
Regali absistunt signantes ostia gemma.
Interea Titan ruit, & nox humida ponto
Exoritur, densa involvens caligine terras
Pontificumque dolos. Furtivo calle sub aram
De more elapsi subeunt matresque, nurusque,
Cum natis totaque domo: pictisque tapetis
Discumbunt super, & spondis florentibus ostro.
Tum demum genio indulgent, fusique per aulam
Implentur dapibus gratis, & munere Bacchi:
In partemque vocant Belum, crebrisque lacessunt
Non responsurum cyathis. Nec stulta siletur
Credulitas populorum, & multis utilis error.
Præcipuè cladem Vati & fatale precantur
Exitium, ignari quæ se fortuna maneret.
Parte alia eventus volventem incerta futuri
Exercent curæ, Regemque insomnia turbant.
Nunc sortem Senis Hebræi miseratur acerbam:
Pontificum nunc ille timet deprendere furta,
Contemtusque suos. nec dulci lumina somno
Claudere fas. Ergo primis ut sensit Olympum
Auroræ radiis albescere, membra cubili
Corripiens, templi Danielem ad limina ducit.

Statimque cùm aperuiſſet oſtium, intuitus Rex menſam, exclamavit voce magna : Magnus es Bel, & non eſt apud te dolus quiſquam.

Et riſit Daniel, & tenuit Regem ne ingrederetur intrò ; & dixit : Ecce pavimentum, animadverte cujus veſtigia ſint hæc?

Et dixit Rex : Video veſtigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus eſt Rex.

Tunc apprehendit Sacerdotes, & uxores, & filios eorum ; & oſtenderunt ei abſcondita oſtiola, per quæ ingrediebantur, & conſumebant quæ erant ſuper menſam.

Et prior : An notis, inquit, ſtant ſigna figuris,
Commiſſique fidem cera inviolata tuetur?
Cui Senior : Fraus omnis abeſt, tuaque, Inclyte, portis
Excubat, & ſervata aditus defendit imago.
Vix ea protulerat : valvis bipatentibus ædes
Recluſere. Oculos fert protinus omnia circum;
Atque epulis menſas Heros miratus inanes
Exclamat : Magna eſt certè tua, Bele, poteſtas;
Nec fictum horremus vacua ſub imagine nomen,
Cùm te votivis placamus odoribus, & cùm
Pacem adytis & ſancta humiles reſponſa precamur.
Jamque ibat ſupplex aræ impoſiturus honorem?
Aſt illum blandè amplexus ſub limine primo
Continuit Vates : &, Canæ inſcripta favillæ
Contemplator, ait, ſatin' hæc veſtigia Belo
Conveniant? Divos, credo, Divaſque vocavit,
Excepitque ſuis infantia Numina tectis.
Sic ipſe alludens. Cyro pud r iraque vultum
Incendêre : jocis nec reſpondere facultas.
Quippe virûm paſſim notos in pulvere greſſus,
Femineiſque immixta ſolo puerilia cernit
Signa pedum. Manibus duci poſt terga revinctis
Ergo omnes jubet; admotis ſubigitque fateri
Ignibus. Hi trepidi, & pallentes morte futura,
Detexere dolos, imoque in fornice monſtrant
Indeprenſum oculis iter, opportunaque furto
Oſtia, nocturnis quà ſueti adrepere menſis.
Tum verò horrendùm frendens Rex intonat ore:
Ergo etiam ſceptris auſa eſt illudere noſtris
Perfida gens : potuitque ſacri ſub imagine ritus
Hoc ſuadere nefas populis? mactentur ad aras,
Perfundantque ſuo ſceleratum ſanguine Numen.
At tu, cui potiùs parêre haud falſa monenti
Æquum erat, ô Daniel, meritas nunc exige pœnas:
Sacra tibi, Belique arces, ipſumque remitto :
Utere jure tuo, & commune ulciſcere probrum.

Occidit ergo illos Rex, & tradidit Bel in potestatem Danielis:

qui subvertit eum, & templum ejus.

Et erat draco magnus in loco illo; & colebant eum Babylonii.

Sic fatur, gressumque furens penetralibus effert.
Lictores tela expediunt; & vulgus inermum,
Ut sors quemque tulit, generis discrimine nullo
Ætatisve necant. Pars ad vestigia Divûm
Ferales pateras tepido implevere cruore:
Pars ritu pecudum cumulant altaria cæsis
Corporibus: prunis alii torrentur, & ustâ
Thura manu non sponte adolent. Clamoribus æther
Personat horrendis & femineo ululatu.
Parte alia Vates (quamquam clementia tristi
Cæde super miserorum animos inflexit, & udis
Extorsit fletus oculis) non segnior instat
Sacrilegas imis evertere sedibus ædes.
Hortaturque suos, stipulas atque arida porro
Ligna ferant, pinguique albentem sulphure silvam.
Ipse facem dextrâ quassans, laquearibus ignem
Cedro intertextis & odorifera cyparisso
Subjicit: undantique extemplo vortice flamma
Corripuit tabulas, & pictum fornice culmen.
Jamque trabes & tigna ardent: jam summa ruinam
Vulcano populante trahunt fastigia, & unà
Exculptæ circùm effigies Regumque Deûmque.
Nec solidi Belum rigor æris, & æqua giganti
Tutatur moles. Solio dejectus ab alto
Ipse suam vasto sub pondere proterit aram:
Quo casu perfracti artus, humerisque revulsum
Dissultat longè caput: at liquefactus ab igne
It truncus rivis; flammaque ultrice metallum
Exuit humano simulatum crimine Numen.
Non tamen impietas Babylone extincta, nec omnis
Continuò populi furor & vesana quievit
Relligio. Taxi nigrâ densissimus umbrâ
Lucus erat, juxtaque excisum in pumice vivo
Antrum ingens, torvi sedes antiqua draconis:
Quem Chaldæa metu magno perculsa colebat
Tollentem cristas, & sibila colla tumentem.

Et dixit Rex Danieli : Ecce nunc non potes dicere quia iste non sit Deus vivens.

Adora ergo eum.

Dixitque Daniel : Dominum meum adoro, quia ipse est Deus vivens ; iste autem non est Deus vivens.

Tu autem Rex da mihi potestatem, & interficiam draconem absque gladio & fuste.

Et ait Rex : Do tibi. Tulit ergo Daniel picem & adipem, & pilos, & coxit pariter : fecitque massas, & dedit in os draconis :

&

diruptus est draco.

Et dixit : Ecce quem colebatis.

Speluncæ ante fores putri tepefacta cruore
Fumat humus ſemper : mæſtiſque altaribus extant
Corpora cæſa boum, & ſtillantia viſcera tabo.
Ille fero carnes circùm depaſcitur ore
Improbus ingluvie dira : caudamque revolvens
Arroſis pigram ſuper oſſibus explicat alvum.
Venerat in lucum primi ſub lumina ſolis
Victor Achæmenides, votivaque ſacra parabat,
Magnà voce vocans anguem. Et, Deus ille profectò,
Eſt, ait, ille Deus : vivitque, & veſcitur aurâ
Ætherea : neque nos, Daniel, ludibria fallunt
Pontificumque artes. Hunc ergo pronus adora ;
Neu differ meritos incendere thuris odores.
Cui Vates, alto ſuſpirans pectore, fatur :
Ah ! mihi ne tantum ſpera ſuadere furorem,
O Princeps, rituque animum ſcelerare nefando.
Scilicet auctorem vitæ, immortalis & ævi
Impius ejurem Dominum deſertor, ut atris
Liventem ſquamis, & paſtum cædibus anguem
Muneribus diſcam venerari & ſanguine fuſo ?
Quin potiùs fatalem urbi da tollere peſtem,
Huncque levare metum populis. Nec tela requiro :
Horrendos dentes licèt & rabida ora veneno
Exertet ferus, atque oculis vomat acribus ignem.
Annuit Iſacidæ votis Cambyſe creatus.
Ergo adipe, & pingui medicatos unguine villos,
Idæamque picem ferventi incoxit aheno.
Tum maſſam ſubigens molles conformat in offas,
Atque feræ immanes pandenti gutture hiatus
Objicit. Illa ſuum decepto corripit ore
Exitium. Pix namque arctis ſub faucibus hærens
Luctantem abrupit diſcerpta per ilia vitam
Cum ſonitu : latet immenſo ſub corpore tellus.
Hebræus magna Senior cum voce profatur :
En cui vos toſtas fruges & pinguia, Medi,
Exta ferebatis pecudum. Formidine pulſa

Quod cùm audissent Babylonii, indignati sunt vehementer:

Et congregati adversum Regem dixerunt: Judæus factus est Rex, Bel destruxit, draconem interfecit, & Sacerdotes occîdit.

Et dixerunt, cùm venissent ad Regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te & domum tuam.

Vidit ergo Rex quòd irruerent in eum vehementer.

Et necessitate compulsus tradidit eis Danielem.

Qui miserunt eum in lacum leonum: & erat ibi diebus sex.

Porro in lacu erant leones septem.

Consulite, éque adytis propiùs jam quærite sortes.
Sic ille insultans. It mæstam fama per urbem
Interea, & centum ferit aures turbida linguis
Fanda infanda ferens. Miscentur cuncta tumultu:
Lymphati coëunt passim per compita cives;
Matresque atque nurus thalamis se ferre relictis
Non mores, non ipse vetat pudor. Ilicet omnes
Dira superstitio stimulis haud mollibus egit
In furias. Jamque insanis ululatibus arma,
Arma viri ingeminant, Divûm pro numine læso:
Quos ille egregius veterum contemtor avorum
Insequitur ferro & flammis. Impune per aras
Fuso pontificum violarit sanguine templa,
Cumque sua Belum subverterit impius arce.
Quis verò antiquum furor extinxisse draconem,
Tutelam geniumque urbis? pigra sabbata servet
Nunc quoque, servilemque Deum recutitus adoret.
His sese exacuit dictis violentia vulgi.
Nec vanos intra fremitus stetit ira furentum.
Aulaï ante fores glomerantur, & ariete crebro
Obnixi assultant postes, Cyroque minantur
Et caræ pestem soboli: ni dedere dirum
Festinet caput, & sontis se absolvere pœnâ.
Ecquid agat? quamve extremo in discrimine rerum
Ausit opem sperare, loco indefensus & armis?
Majestasne truces animos mollire precando,
Atque humilem tentet veniam despecta mereri?
Hoc Daniel vetat, & sese poscentibus ultro
Objicit instantis fati securus. At illum
Tristi omnes caveæ; scelerum concordia tanta est!
Addixere. Alto veteris sub vertice castri
Antrum immane fuit, vivoque cubilia saxo,
Quo septem abdiderant præstanti mole leones;
Terrorem nemorum quondam, nunc gaudia arenæ.
Huc infensa Senem demisso fune juventus
Conjicit: atque feras stimulis & vocibus urget.

Et dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oves: & tunc non datæ sunt eis, ut devorarent Danielem.

Erat autem Habacuc Propheta in Judæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo: & ibat in campum ut ferret messoribus.

Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.

Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio.

Et apprehendit eum Angelus Domini in virtute ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritûs sui.

Et clamavit Habacuc dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus.

Et ait Daniel: Recordatus es mei, Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit.

Porrò Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.

Indignansque suo non respondere furori,
Corpora bina boum, & totidem de more bidentes,
Pabula, demensumque die præbere moratur
Nequicquam. Impasti senos ex ordine soles
Dur. vere famem catuli; rictuque cruento
Accubuere suæ lambentes oscula prædæ.

Dumque ea Chaldææ pro mœnibus urbis aguntur;
Fortè Habacus, cui mens arcani conscia fati,
Rure suburbano patrii Jordanis ad undam
Venerat, agrestes fessis messoribus æstu
Alveolo portans, quas ipse intriverat, escas.
Ecce autem cælo juvenis delabitur Ales
Veste in purpurea, radiisque comantibus auro
Lucidus. Et fer, ait, tumidæ Babylonis in aulam
Has epulas, sævo Daniel ubi clausus in antro,
Jejunos inter jejunus & ipse leones,
Dat fidei pœnas & relligionis avorum.
Cui Vates: Nec visa, inquit, Babylonis iniquæ
Mœnia sunt, dirum nec quæ via ducat in antrum,
Explorata mihi. Sed si tua, Sancte, voluntas
Ire iter, ignotisque jubet me credere terris;
Te duce non metuam cuicumque subire periclo.
Talia jactanti dextrâ caput occupat Ales,
Implicuitque comam digitis: simul ocior euro,
Ocior & pennâ labentis ab æthere flammæ,
Suspensum, visu mirabile! crine per auras
Fert impune virum, & speluncæ in limine sistit.
Qui longè inclamans: Cæli justissima cura,
Nec frustra obsequio Dominum venerate fideli,
Huc ades, ô Daniel, inquit; submissaque dona
Carpe, volente Deo, lætus. Nec plura locutum
Aliger Hebræis extemplo reddidit oris.
Tum Senior duplices tendens ad sidera palmas,
Et vultum lacrimis humectans lenibus infit:
Fers tandem auxilium bonus, & solaris amantem,
Nullaque te, Genitor, cepere oblivia nostri.

Venit ergo Rex die septimo,

ut lugeret Danielem.

Et venit ad lacum,
& introspexit.

Et ecce Daniel sedens in medio leonum.

Et exclamavit voce magna Rex dicens: Magnus es, Domine Deus Danielis.

Et extraxit eum de lacu leonum.

Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum.

Et devorati sunt in momento coram eo.

Tunc Rex ait:


Nec ſervaſſe ſatis tanto è diſcrimine vitam:
Delicias etiam nova per miracula quæris.
Sic fatus gratis dapibus jejunia ſolvit.
Septimus interea portas luſtrabat Olympi
Aurora præeunte dies. Mæſtiſſima luctu
Atria Rex Aſiæ linquit mæſtiſſimus ipſe:
Lugubremque trahens neglecto corpore pallam,
Inferias Vati ſupremaque dona ferebat.
Ponè ſubit longum pullis in veſtibus agmen,
Quos Regis dolor, aut cari miſerabile amici
Pertraxit deſiderium. Stant lumine fixo,
Perque viam ſolis pandunt ſingultibus ora.
Ut ventum ad fauces, atque illætabile limen:
Ipſe intrò lacrimis per rimam aſpexit obortis.
Atque ibi ſecura Danielem fronte tuetur
In medio, & placidos juxta recubare leones,
Mulcentes linguis & blandæ verbere caudæ.
Reſtitit admirans, rupitque hanc pectore vocem:
Magnus es, ô mundi ſuprema & ſola poteſtas,
Iſacidum Deus! ac toto tibi cedere Olympo
Turba Deûm debet, majuſque agnoſcere Numen.
Sic memorans, tetro eductum de carcere Vatem
Excipit, & paſſis Heros complectitur ulnis.
Nec mora: continuò miles ruit agmine facto,
Scrutaturque domos gladiis, raptatque per urbem
Auctores primos ſcelerum inſanique tumultus.
Atque hi, conceptum cælo ulciſcente furorem,
Et juſtas referente vices, damnantur arenæ.
Quo viſu horrendum caveis fremuere leones,
Concutiuntque jubas, duriſque in cautibus ungues
Exacuunt. rediit rabies, cædiſque voluptas.
Jamque feri inſiluere: trahunt diſcerpta virorum
Corpora, rorantesque molunt ſub dentibus artus
Certatim. Juvat hac ſolari viſcera prædâ,
Indictamque ſitim grato ſatiare cruore.
Rex verò magna tactus formidine mentem

Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis?

Quia ipse est salvator, faciens signa & mirabilia in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum.



Fatur : eo dicente animis atque auribus aſtant,
Et pavidi accipiunt non vana oracula Perſæ.
Audiat hæc quæcumque meis gens addita regnis;
Seu Nilum , Gangemve bibit, campiſque refuſum
Euphratem, & rapido ſpumantem vortice Tigrim;
Seu tenet Armeniæ ſaltus, & Caſpia clauſtra :
Maſſagetæ infrænes , picturatique Agathyrſi,
Extremique hominum Æthiopes , & Achaïca tellus,
Atque Syri, atque Arabes, atque aurea regia Crœſi.
Imperat hoc Cyrus. Solymæ delubra tenentem
Formidate Deum populi, & placate precando.
Nam mihi ſolus erit poſthac Deus. Ille leonum
Bis rabidos ungues, & ſæva coërcuit ora ;
Bis leti Danielem, orcique à limine traxit.
Vos teſtes, ut flamma modis innoxia miris
Ejus ad imperium quondam ſtetit : utque potentem
Sæpe manum ſenſit Chaldæa exterrita monſtris.
Quare,agite, hinc juſtum moniti ſolvamus honorem:
Nec pudeat noxam patrum abſterſiſſe nepotes.
Dicta probant omnes : Regiſque exempla ſequuti,
Sacrilegos damnant ritus : victorque Deorum
Aſſyria Daniel captivus in urbe triumphat.






ELIAS

IDOLOLATRIÆ EVERSOR.

Ex capite XVIII. libri III. Regum.

POST dies multos factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio, dicens:



ELIAS

IDOLOLATRIÆ EVERSOR.

POETICA PARAPHRASIS.

TERTIA jam rapidis candebat Solibus æstas,
Ex quo iræ accensus stimulis, pro Numine læso,
Thesbites Hebræa siti damnaverat arva;
Et vetitum labi cælo suspenderat imbrem.
Ipse autem vacuo sicci torrentis in alveo,
Rupe sub excelsa, corvis portantibus escam,
Delituit, Tyrias donec fugitivus in oras,
Sidonio quà stant Sareptæ structa colono
Mœnia, cælesti monitu devenit. Ibi illum
Orba viro fessum mulier dum paupere tecto
Excipit, ac tenui mensa solatur egentem;
Mirata est juges succrescere farris acervos
Sponte sua, & pingui fontem decurrere olivo.
Prolem etiam, teneræ primævo in flore juventæ
Immiti raptam leto, fati arbiter Heros
Reddidit. Hospitii fuit hæc pro munere merces.
At Deus interea solio spectabat ab alto
Uri æstu latè terras, arescere sulcis
Spes segetum, sterni campis animalia passim
Longa victa fame, viduari civibus urbes.
Ergo vicem indignam gentis miseratus amatæ,
Sancitique memor per tot miracula rerum

Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.

Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab.

Erat autem fames vehemens in Samaria.

Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domûs suæ.

Abdias autem timebat Dominum valde.

Nam cùm interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis: & pavit eos pane & aquâ.

Fœderis, affatur placido ſic pectore Vatem :
Irarum ſatis eſt : neque me clementia triſti
Excidio ſinit Abrami delere nepotes.
I celer, & tumido Samariæ occurre Tyranno,
Utque poli diſcat nutu me claudere portas
Et reſerare tuo, rores ſperare negatos,
Tantorumque jube finem expectare malorum.
Continuò latebras atque hoſpita tecta relinquit,
Et greſſum Senior Carmeli intendit ad arces,
Nil metuens iram & gladios immitis Achabi.
Iſacidum bis quinque Tribus, quas fœdere rupto
Diſcordes ſtolidi Juvenis ſecedere faſtus
Compulerant, duro Amarides * urgebat Achabus
Imperio : pejorque viro Sidonia conjux
Cogebat lucis incendere thura profanis,
Et patrium fuſo venerari ſanguine Belum :
Quo Samaria graves meruit pro crimine pœnas,
Diram experta famem, cladeſque & acerba ſuorum
Funera. Privatos nec tantùm ſæva penates
Corripit, ipſa etiam furit in palatia peſtis ;
Et ſontem meritis contriſtat luctibus aulam.
Veſanum ſed nil Regem mala publica tangunt.
Quadrupedum cura una movet, quos Martis in uſum
Sepoſitos miro bellator amore fovebat.
Ergo ad ſe vocat Obediam *, fidiſſimus unus
Qui fuit. Olli omnis domus, & regale magiſtro
Servitium, curruſque, & lecti ad bella jugales
Parebant; Regiſque aderat pæne æqua poteſtas.
Non tamen aut ſtudio victus, dominique favore,
Aut odiis contrà, & ſævi formidine leti,
Suſtinuit mutare fidem; patrumque relicto
Numine, Diis vetitum variis impendere honorem.
Quin etiam ſacros dum quæreret impia Vates
Ithobalis **, ferroque inſectaretur & igni;

* Sic Joſephus eos appellat.
** Jezabel Ithobali filia.

Dixit ergo Achab ad Abdiam : Vade in terram ad universos fontes aquarum , & in cunctas valles ; si fortè possimus invenire herbam , & salvare equos & mulos , & non penitus jumenta intereant.

Diviseruntque sibi regiones , ut circuirent eas.

Achab ibat per viam unam , & Abdias per viam alteram seorsum.

Cùmque esset Abdias in via , Elias occurrit ei.

Qui cùm cognovisset eum , cecidit super faciem suam , & ait :

Num tu es , domine mi , Elias?

Cui ille respondit : Ego. Vade , & dic domino tuo : Adest Elias.

Et ille , Quid peccavi , inquit , quoniam tradis me servum tuum in manu Achab , ut interficiat me?

Vivit Dominus Deus tuus , quia non est gens aut regnum , quò non miserit dominus meus te requirens.

Et respondentibus cunctis , Non est hîc ; adjuravit regna singula , & gentes , eo quòd minimè repertreris.

Ipſe fugâ centum eripuit, notiſque ſub antris,
Clam duplici occultans diviſos agmine pavit.
Ad quem ſollicito mæſtus Rex pectore fatur:
Sit tecum iſte labor totâ perquirere terrâ,
Fonteſque, fluvioſque, & ſicubi vallibus imis
Rivus aquæ fugiens per mollia gramina ſerpit,
Ne fòrs deſit equis, muliſque nitentibus herba,
Ægraque ſuccumbant nimio jumenta labori.
Sic ait. Atque ambo tractus regionis in orbem
Inter ſe partiti adeunt. Latam ipſe ſiniſter
Convallem, & curvis ſola montibus abdita luſtrat.
Obedias dextram ſequitur, declive tepenti
Quà latus obvertit Zephyro Carmelus, & agros
Perpetuis circùm ſubjectos irrigat undis.
Nec longum in medio tempus: veſtigia contra
Ecce Elias tendens, huic ſe tulit obvius ultro.
Quem ſimul ac vidit, veſteſque agnovit & ora,
Procidit ante pedes, ſtravitque in pulvere vultum,
Demiſſaque tremens vix tandem voce profatur:
O lux Abramidum, miſeræ ſpes unica gentis,
Te reducem aſpicio? quæ celavere latebræ,
Heu! quæſite diu fruſtra? pacemne reportas
Jam melior? Me cernis, ait, neque lumina fallunt.
Atque antiquus amor ſupereſt, & cura meorum.
Verùm age, rumpe moras, & Achabo nuncius ito:
Neu reditus illi noſtros prædicere differ.
Cui pius Obedias lacrimis reſpondit obortis:
Quodnam in te facinus potui committere tantum,
Ut crudele velis odium furiaſque movere
Principis, horrendamque inſonti accerſere mortem?
Nam tibi, quem mundi Dominum confeſſus adoras,
Juro, Pater, gentes circum & regna omnia miſſos
Iſſe oratores, quocumque ſub axe latentem
Qui peterent. Poſtquam caſſi cecidere labores,
Quæſitumque diu nullis deprendere terris
Te licuit, populos ſanctæ per fœdera pacis,

Et nunc tu dicis mihi : Vade , & dic domino tuo : Adeſt Elias.

Cúmque receſſero à te , ſpiritus Domini aſportabit te in locum quem ignoro.

Et ingreſſus nunciabo Achab : & non inveniens te , interficiet me.

Servus autem tuus timet Dominum ab infantia ſua.

Numquid non indicatum eſt tibi domino meo , quid fecerim cùm interficeret Jezabel Prophetas Domini : quòd abſconderim de Prophetis Domini centum viros , quinquagenos & quinquagenos : & paverim eos pane & aquâ. Et nunc tu dicis , Vade , & dic domino tuo , Adeſt Elias , ut interficiat me ?

Et dixit Elias : Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum ſto , quia hodie apparebo ei.

Abiit ergo Abdias in occurſum Achab , & indicavit ei.

Venitque Achab in occurſum Eliæ. Et cùm vidiſſet eum , ait : Tune es ille qui conturbas Iſrael ?

Et ille ait : Non ego turbavi Iſrael , ſed tu , & domus patris tui , qui dereliquiſtis mandata Domini , & ſequuti eſtis Baalim. Verum-

Communeſque Deos adjuravere precando,
Ne violare fidem vellent, & fallere amicum.
Et nunc ire jubes, Regique edicere ſævo
Huc te ferre gradum, latebriſque adſtare relictis:
Ignotas ut cùm rapido te turbine in oras
Mox Deus abſtulerit, vani temerarius auctor
Arguar indicii, & ſparſo dem ſanguine pœnas?
Aſt egó non leges ſanctas, cultumque Tonantis
Impius abjeci. viget, æternumque vigebit,
Quam teneræ menti quondam infixere parentes,
Relligio. Scis ipſe: tuas nam rumor ad aures
Pertulit, ut Reginæ odiis, cædique nefandæ
Eripui Vates centum: perque avia luſtra
Clam fovi, victum profugis potumque miniſtrans:
Queis pro muneribus crudeli occumbere ferro
Immeritum damnas. Pietati hæc debita merces?
Sic ille orabat lacrimans, genibuſque volutus
Poſcebat veniam. Blandis cui vocibus Heros,
Solve animo curas, inquit, vanumque timorem.
Teſtor quem circùm innumeræ cinxere phalanges
Cælituum, qui nos præſens auditque videtque;
Non hunc antè diem ſero componet Olympo
Humida nox, quàm me vultus ſpectare Tyranni
Contigerit, coramque loqui ſit facta poteſtas.
Obedias per nota retro compendia curſum
Detorquet, domino gratiſſima nuncia portans:
Veloxque aſſequitur. Greſſus ſimul ipſe ſeniles
Concitat, annorum, tardantiſque immemor ævi.
Quem procul ut vidit, ruit acri turbidus ira,
Intentanſque minas Ductor Samariticus infit:
Tune ille es, qui res jamdudum evertere noſtras,
Et totam properas à ſtirpe exſcindere gentem?
Plura locuturum dictis non mollibus Heros
Excipit: Haud ego tot miſeris ſum cauſa malorum.
Dira ſuperſtitio, patriſque averſa Deo mens,
Et Beli cumulata tuis altaria donis,

tamen nunc mitte, & congrega ad me universum Israel in monte Carmeli; &, Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, Prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel.

Misit Achab ad omnes filios Israel.

Et congregavit Prophetas in monte Carmeli.

Accedens autem Elias ad omnem populum, ait:

Adduxere famem, & letalem frugibus annum.
Sed vade, & famulas Carmeli ad culmina montis
Coge Tribus. Adſit Myſtarum exercitus ingens,
Phœniſſæ aſſuetus menſis, qui limina Divûm
Servant, ſubque altis reddunt oracula lucis.
Amarides (nec enim quicquam ſinit hiſcere contrà
Viſa viro major ſpecies) jubet ociùs omnes
Conveniant. Adſunt Tyrii qui litora ponti,
Quique lacus vitro rutilos, & Adonidis amnem
Mercatu celebrant; gens orta Aſere vetuſto,
Pingui olea felix, cerealis & ubere glebæ.
Necnon diluvium paſſæ qui mœnia Joppes
Azotumque, Acharonque tenent, & rapta giganti
Arva Palæſtino, Danis de ſtirpe nepotes.
Quique vagos Arabum curſus & furta coërcet
Gaddites, jaculiſque potens Ephræmus & arcu,
Certatim properant. Gaza Simeonis ab alta
Accurrit domus, & Joſephi clara propago
Manaſſes, palmas cui proxima nutrit Idume,
Et famulam naſcens Jordanis ſubjicit urnam.
Vos etiam Libani colles, Galilæaque rura
Deſeritis, veſtro nunc primùm ingrata labori,
Nephtalidæ. Nec te formoſus detinet Hermon,
Iſſachar, & Syrio fœcundi ſanguine campi.
Adfuit & Gadaræ Zabulon cærula ſtagna
Aſſiduis ſolers ſcrutari retibus, & qui
Ducit ab inceſto nomenque genuſque Rubeno.
Præterea Beli ex adytis longo ordine venit
Pontificum grex omnis, & omnis turba poparum;
Fatidicique, & qui pecudum ſe noſcere fibras,
Et volucrum cantus, & præpetis omina pennæ,
Per populos jactant. Complentur lata viarum,
Atque pedum pulſu tellus concuſſa tremiſcit.
Ecce autem ſecreto Elias proceſſit ab antro,
Horridus in pelle hirſuta, intonſuſque capillos,
Utque oculis ira inſuetum ſuffecerat ignem,

Usquequo claudicatis in duas partes ? si Dominus est Deus , sequimini eum.

Si autem Baal , sequimini illum.

Et non respondit ei populus verbum.

Et ait rursus Elias ad populum : Ego remansi Propheta Domini solus : Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt.

Dentur nobis duo boves : & illi eligant sibi bovem unum : & in frusta cædentes , ponant super ligna , ignem autem non supponant.

Et ego faciam bovem alterum , & imponam super ligna , ignem autem non supponam.

Invocate nomina Deorum vestrorum : & ego invocabo nomen Domini mei.

Et Deus qui exaudierit per ignem , ipse sit Deus.

Respondens omnis populus ait : Optima propositio.

Dixit ergo Elias Prophetis Baal :

Eligite vobis bovem unum , & facite primi , quia vos plures estis :

Et invocate nomina Deorum vestrorum ; ignemque non supponatis.

Dat sese in medios: palmasque ad sidera tendens,
Cur dubias, inquit, studia in contraria mentes
Jamdudum error agit, versatque labantia corda?
Si terris nota est Domini, cæloque potestas,
Olli thure dato divinos solvite honores.
Sin verò non est Beli dubitabile Numen,
Hunc colite, & fuso templis placate cruore.
Talibus increpiti tenuere silentia dictis
Abramidæ; linguam diri mens conscia facti
Vinxerat. Ergo iterum Senior sic fervidus urget:
En ego tot quondam Domini de Vatibus unus
Sum super: ast Divûm lucos delubraque Mystæ
Innumeri servant, populisque oracula reddunt.
Ducite vicino duplices ab gramine tauros:
Quorum quem potiùs fuerit legisse voluntas,
Corripiant ferro accincti, mactentque sub aram;
Concisumque popæ membratim humentia ponant
Ligna super, parcantque ignem supponere tædis.
Ipse datum simili ritu mactabo juvencum,
Discerptosque artus, & frusta trementia truncis
Imponam arboribus. Vobis ea cura maneto
Longè arcere faces, sacrisque avertere flammam.
Hæc ubi facta, fidem vestrorum exposcite Divûm:
Auxilium dextri præstent, adsintque faventes.
Inque vicem Dominum supplex in vota vocabo.
Tum qui fausta Deus dederit responsa per ignem,
Pulsis ille aliis esto Deus. Illius unum
Gens Hebræa colat Numen, cæloque reponat.
Dicentem Isacidæ magno clamore sequuntur,
Consiliumque probant. Studio simul acta juventus,
Festinat duplices pratis abducere tauros,
Floribus, & croceis evinctos cornua vittis.
Atque hos Flaminibus monstrans sic institit Heros:
Accipite, optandi quando concessa facultas,
Alterutrum amborum, cæsoque litate priores.
Vos plures; vobis æquum est me cedere primas.
Poscite opem Divorum, & si quid denique possunt,

Qui cùm tulissent bovem, quem dederat eis, fecerunt.

Et invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes : Baal, exaudi nos.

Et non erat vox, nec qui responderet.

Transiliebantque altare quod fecerant.

Cúmque esset jam meridies, illudebat illis Elias dicens : Clamate voce majore : Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.

Clamabant ergo voce magna : & incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.

Postquam autem transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo sacrificium offerri solet : nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes : dixit Elias omni populo : Venite ad me.

Et accedente ad se populo,

Curavit altare Domini quod destructum fuerat.

Immittant vetitum ſupponi altaribus ignem.
Protinus oblati ferientes colla juvenci
Dant operam ſacris, & clamant nomine Belum.
Bele, poli ſi non falsò quatere ardua templa
Diceris, & ſontes jaculari fulmine terras,
Reſpice nos, atque ipſe tuum, Pater, aſſere Numen.
Talia jactabant, cùm prima exurgeret Eos,
Et cùm jam medio ſtaret Sol igneus axe,
Nequicquam. Sperata fidem miracula fallunt,
Nec referunt ullæ voces reſponſa per auras.
Solennes igitur cœpere altaria circum
Exercere choros, & corpora nuda movere
In numerum. Ridet morem, rituſque profanos
Theſbites, dictiſque jocans inceſſit amaris:
Clamores geminate, viri, validaque morantem
Voce vocate Deum. Fors dulces inter amicos
Temperat immitem lætis ſermonibus æſtum:
Aut calices nota cauponæ ſiccat in umbra,
Longinquumve emenſus iter deſeſſa quieti
Membra dedit, totoque accepit pectore ſomnos.
His Myſtarum animus verbis exarſit & ira.
Exululant, Belumque cient, interque ciendum
Carpere vulnificis humeroſque & brachia cultris
De more incipiunt. Totos cruor irrigat artus.
Sed neque vel precibus cælum, vel ſanguine fuſo
Flectitur; optatus nec nubibus advenit ignis.
Jamque dies ſummi trajecerat ætheris orbem,
Præſcriptumque illis tempus, labentibus horis,
Fluxerat. Eventu gaudens res ire ſecundo
Theſbites populum dictis compellat amicis:
Sat larvis Ereboque datum. Nunc vertite greſſus
Huc mecum atque animos, linguiſq; adſtate faventes.
Haud ſecus ac juſſi faciunt, ultroque ſequuntur,
Viſuri quid demum agitet molimine tanto.
Ara fuit, quam bellator ſacraverat olim,
Cùm rediit ſpoliis Agagi indutus opimis,

Et tulit duodecim lapides juxta numerum Tribuum filiorum Jacob :

Ad quem factus est sermo Domini dicens : Israel erit nomen tuum.

Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini, fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & composuit ligna, divisitque per membra bovem, & posuit super ligna, & ait :

Implete quatuor hydrias aquâ.

Et fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit : Etiam secundò hoc facite. Qui cùm fecissent secundò, ait : Etiam tertiò idipsum facite. Feceruntque tertiò, & currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductûs repleta est.

Cúmque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta, ait : Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel :

Et ego servus tuus : & juxtà præceptum tuum feci omnia verba hæc.

Exaudi me, Domine, exaudi me, ut discat populus iste quia tu es Dominus Deus, & tu convertisti cor eorum iterum.

Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens.

Cifides. Tunc ſaxa ſolo disjecta manebant.
Collapſam inſtaurat, primumque in ſedibus imis
Biſſenos Senior lapides ex ordine ponit:
Hocque Tribus æquat numero, claramque Jacobi
Progeniem; qui, cælicolis contendere luctâ
Auſus, ab egregio nomen certamine traxit.
Deinde locum, nequid fraudiſve dolive latere
Fortè putent, ſulco duplici concludit: & altè
Depreſſo foſſam prudens molitur aratro.
Mox aram truncis, viridique inſternere ſilva
Aggreditur, pingueſque juvenci dividit artus,
Imponitque focis clamans: Nunc quatuor urnas
Ferte citi, labroque tenus putealibus undis
Replete ingentes, & cæſi corpora tauri
Spargite largo imbri, ligniſque invergite lymphas.
Paretur. Ter juſſi aram, ter ligna miniſtri
Roribus aſpergunt. Natat undique foſſa remiſto
Sanguine, marginibuſque exundans æſtuat amnis.
Jamque aderat ſacri tempus, cùm lumina cælo
Attollens clara Vates ſic voce precatur:
O tu, cujus opem patriis Abramus ab oris
Sponte exul, toties medio in diſcrimine ſenſit:
Cui ſummos pater Iſâcus, noſtrique Jacobus
Conditor imperii, tribuit ſubmiſſus honores:
Ne cunctare Deum certis te prodere ſignis.
Si monitus, Rex ſancte, tuos & juſſa ſequutus,
Hæc in me miſi certamina: nunc age, pactam
Solve fidem, factiſque ingentibus aſtrue dicta.
Aſpiciant, patrumque imitati exempla nepotes,
Te ſolum venerentur, & impia ſacra relinquant.
Vix ea fatus erat, cùm turbine lapſa per auras
Flamma ſonum dedit ingentem: quâ victima, & omnis
Cum ligno, ſaxiſque abſumta evanuit ara.
Rivi etiam latices, & arenas ebibit ignis.
Tum verò Iſacidæ tanti formidine monſtri

Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus: Dominus ipse est Deus.

Dixitque Elias ad eos: Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis.

Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison.

Et interfecit eos ibi.

Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, & bibe;

Quia sonus multæ pluviæ est. Ascendit Achab ut comederet & biberet.

Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua. Et dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare.

Qui cùm ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quicquam.

Exanimes cecidere solo, lacrimisque profusis
Exclamant: Deus est, Deus est, qui celsa Sionis
Templa tenet. Deus est, responsant curva supino
Saxa jugo. Deus est, silvæ vallesque remittunt.
Ergo illos stimulis Elias gravioribus urgens,
Ite, ait, & Beli captos adducite Mystas,
Tantorum auctores scelerum, neu quem fuga pœnæ
Eripiat, vestrumque nefas absolvite ferro.
Haud mora: continuò manibus post terga revinctos
Vicinam in vallem rapiunt, ubi vortice Cison
Spumantes intorquet aquas, cùm turbidus imbre
Hiberno intumuit. Tunc sicco tenuis in alveo
Serpebat bibulis ægrè obluctatus arenis.
Ipse prior justo flammatus corda furore
Dat signum cædis, telumque immane coruscans
Infert se in medios, & quæ obvia corpora leto
Dejicit. Ultrices nec eo clementior iras
Exercet populus. Dolor arma pudorque ministrant.
Pars cultris pecudum in morem jugulantur acutis:
Pars animam lapidum dura sub grandine mæsti
Exhalant. Alii ferali ex arbore pendent,
Præcipitesve cadunt scopulis, & in aëra torti
Illiduntur humo. Lamentis avia longè
Silva fremit, calidoque redundat sanguine torrens.
Tum Vates Amaro genitum sic ore sereno
Aggreditur: Propera jejunia solvere mensis,
Collectamque sitim grato restinguere potu
Dum licet. Ecce sonat ruptis de nubibus imber,
Lætitiam terris referens priscumque decorem.
Tantùm effatus: & aërii fastigia montis
Ascensu superat, pronusque recumbit, & ora
Insertans genibus, tacito cum corde precatur.
Abruptæ interea puerum de vertice rupis
Explorare jubet quæ fluctibus imperet aura:
Corus ab adverso num suscitet æquore nimbos.
Ille oculis totum latè metitur Olympum,

Et rursum ait illi : Revertere septem vicibus.

In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.

Qui ait : Ascende, & dic Achab : Junge currum tuum,


Et descende, ne occupet te pluvia.

Cúmque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus.

Et facta est pluvia grandis.

Ascendensque itaque Achab abiit in Jezrael.

Et manus Domini facta est super Eliam : accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrael.



Intenditque aciem nequicquam. Nubila ponto
Surgere nulla videt, lucemque offundere velis.
Cui Senior: Ne parce iterumque iterumque per-
omnes
Lumina ferre maris tractus; & visere cælo
Quid Zephyri moveant, quid Sol devexus in undas
Nunciet. Ipse Deum precibus lacrimisque fatigans,
Promissos queritur delabi serius imbres.
Jamque puer celsam montis delatus in arcem
Subjectum bis ter frustra lustraverat æquor,
Cùm tentanti iterum, visusque per alta ferenti,
Humano vix æqua pedi se tollere nubes
Visa mari procul, & cæli obscurare serenum.
I puer, exclamat Vates: quid currere cessas?
Jamdudum curru Amariden junxisse jugales,
Tempus erat, celerique fuga prævertere nimbos.
Dumque animi exultans huc gressum vertit &
illuc,
Extemplo tenebris obductus inhorruit æther:
Noxque diem involvit. Tum cæco turbine venti
Nubila densa ferunt, debacchanturque per auras
Cum tonitru. Ruit effusis è nubibus imber,
Et largo humectat sitientes agmine campos.
At deprensus equos laxis Rex urget habenis.
Divino monitu tanti se muneris auctor
Thesbites addit comitem, celeresque quadrigas
Ipse pedes, nodo collectis vestibus, anteit.
Sic legum vindex patriarum & Numinis ultor,
Jucundos inter cæli terræque tumultus,
Jezraelis ovans succedit mœnibus urbis.





PSALMUS II.

QUARE fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?

Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos:

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,
prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me:
Filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

IN
PSALMUM II.
PARAPHRASIS.

CUR gentes fremuere animis ? vanoque rebelles
Inter se populi conjuravere tumultu ?
Principibus Reges sociali crimine juncti
Unà omnes coïere. Illos furor impius urget
Ire Deum contra, Christumque lacessere bello.
Turpibus, exclamant, nos dudum absolvere vinclis,
Servilique jugo regalia demere colla,
Tempus erat. Probrum ulcisci cunctamur inertes ?
Talia jactantes, cælo qui præsidet alto
Audiet : ac strepitus, frustraque minantia risu
Excipiet dicta illudens. tum fervidus irâ,
Horrifico mittet vocem clamore per auras,
Concutietque gravi tonitru temeraria corda.
Ergo mihi sacra Deus ipse Sionis in arce,
Jussit honoratos cingi diademate crines;
Præcepitque suas leges vulgare per orbem;
His etiam dignans blandiri affatibus ultro :
Tu mea progenies ; jucundæ munere vitæ
Té donavi hodie genitor. Quid poscere cessas ?
Namque tibi populos, & terras protinus omnes
Subjiciam : proprioque tenendas jure dicabo.
Ipse manu ne parce : at duro contere ferro
Indociles servire animos, ceu pocula, levi
Ficta luto, flictu ad cautes franguntur acutas.


Et nunc, Reges, intelligite, erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.

Quum exarserit in brevi ira ejus:

beati omnes qui confidunt in eo.



PSALMUS CXIII.


IN exitu Israel de Ægypto: domus Jacob de populo barbaro.

Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.

Mare vidit & fugit, Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium.

Vos autem quibus eſt cælo conceſſa facultas
Mortales ſceptris moderari, & condere jura;
Accipite hæc, Reges; monitique advertite mentem.
Majori obſequium Domino redhibete paventes:
Admixtumque metu læti perſolvite honorem.
Illius ah! nunquam veniant oblivia legis,
Aut pudor: ultrices nequando exerceat iras,
Et recto abductos pietatis tramite perdat.
Jamque dies aderit, collectum tempore longo
Quum, flecti impatiens, rumpet de corde furorem.
Felices! ſua queis fiducia Numen amicum
Fecerit: hæc eadem cælo portabit ovantes.



IN
PSALMUM CXIII.
PARAPHRASIS.

QUUM Tanin Abramidæ fugerent, & inhoſpita regna,
Certarentque feræ ſe ſe ſubducere gentis
Servitio; præſens toto circumſtetit illos
Numine: Jacobique domum, Judæque nepotes,
Ipſe ſibi miranda Deus per ſigna dicavit.
Vidit, & acta retro ſciſſi maris unda cucurrit:
Inque caput trepidos Jordanis reppulit amnes.
Ipſi quin etiam movêre cacumina montes:
Colleſque intremuere jugis, ſaltuſque dedêre,
Ut micat exultans aries per gramina læta,
Laſcivoque agnus ſe corpore jactat in auras.

Quid est tibi, mare, quòd fugisti?
& tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes, exultastis sicut arietes, &, colles, sicut agni ovium.

A facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob,

Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua & veritate tua: nequando dicant gentes, Ubi est Deus eorum.

Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit fecit.

Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent & non audient: nares habent, & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

O mare,

O mare, cur imo contorquens cærula fundo
Æquora fugisti? Cur verso tu quoque cursu
Attonitos retro latices, Jordanis, agebas?
Et vos aërii montes, collesque supini,
Frondoso quianam nutastis vertice, ut olim
Lanigeri ductor gestit gregis, & pede pulsans
Terram incomposito salientes provocat agnos.
Scilicet Hebrææ gentis conterrita Regem
Sensit adesse polo tellus; Dominumque tremore
Est confessa suo. Nec secius arida rupes
Præbuit obsequium: cùm protinus ubere largo
Manarunt liquidi scruposa è pumice fontes,
Solibus exustæ gratissima munera turbæ.
Non virtus, non hæc nostri meruere labores.
Tantarum tibi debetur, Pater optime, rerum
Gloria: divinamque nefas decerpere laudem
Ingratos. ne fòrs tali pro crimine pactam
Incipias damnare fidem, & promissa retractes:
Néve hostes risu quondam insectentur amaro;
Et, Deus Isacidum quo se tegat orbe, requirant.
Noster io! cæli rutilas Deus insidet arces,
Unde humiles terras moderatur & humida regna:
Illius imperio nec cuiquam obstare facultas.
At gentes, vano artificis molimine captæ,
Numina ducta colunt auro, cusasque Deorum
Argento effigies: quibus ora carentia linguis,
Cultorum precibus nec responsura suorum.
Non oculis cernunt fletus, non aure querelas
Accipiunt. Nullo nares mulcentur odore,
Thura licèt fument & acerris balsama plenis.
Palpare indociles fulmen grave dextra coruscat,
Nec ferit. Auxilio miseris accurrere frustra
Posse putes; rigido plantas cohibente metallo.
Gutture cumque minas jactare videntur hianti,
Clamor abest, nisi quem plebes sibi credula finxit.
O utinam (nec enim fas est graviora precari)

Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino, adjutor eorum & protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis.

Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.


Adjiciat Dominus super vos, super vos & super filios vestros.

Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram.


Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum.



Consimiles illis artus & pectora gestent,
Qui tales fabricare Deos, votisque vocare
Instituunt! Vos Jacobi gens inclyta, rebus
Poscite in adversis Dominum, & sperate faventem.
Namque suos fovet, & securos numine præstat.
Tuque potens sacrorum, & relligionis avitæ
Custos Amramidæ domus, implorare memento
Suppliciter Dominum. nam præsens tempore iniquo
Duros avertit casus, pacemque reducit.
Qui Domini casta tremitis formidine nomen,
Ne pigeat coluisse. suos juvat ille potenti
Usque manu; pavidosque tegit cælestibus armis.
Exercet memores nostri sub pectore curas:
Jacobique pius sobolem, Aronisque nepotes,
Cultoresque sui cunctos, juvenesque senesque,
Complecti tenero non dedignatur amore.
Vos, vestramque precor venturo tempore prolem,
Augeat, & priscis addat nova munera donis.
Felices nimiùm! vobis hoc condidit ore
Fata Deus, quo cæli orbes, terrasque creavit.
Cæli orbes, & templa sibi flammantia servat:
At mortale genus terras dat habere jacentes.
An verò gelidi cineres, umbræque sepulcri,
Damnative Erebo manes tua dicere curent
Facta, Pater? gratæ gaudentes munere lucis
Hoc manet officium. Vivendo vincere sæcla
Tu dabis: æternum tibi nos reddemus honorem.





PSALMUS CXXXVI.

SUPER flumina Babylonis,

Illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion.

In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos, verba cantionum; & qui abduxerunt nos: Hymnum
Cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Si oblitus fuero tui, Jerusalem,
Oblivioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

IN
PSALMUM CXXXVI.
PARAPHRASIS.

DUM patriâ extorres peregrini Euphratis ad oram
Languemus, fessique viæ, fractique laborum:
Ecce animos subiit miseranda Sionis imago,
Disjectæque arces, & humo fumantia tecta,
Inque suis eheu! Solyme tumulata ruinis.
Flevimus, & liquidas flendo turbavimus undas.
Nam quæ alia in luctu tanto solamina restant?
Plectra silent, lituique, & acuto tinnula cantu
Nablia, mobilibus salicum pendentia ramis.
Sed neque jam misero licet indulgere dolori.
Victor adest captæ incusans suspiria turbæ
Barbarus. Et, Quis erit gemitu modus, inquit, amaro?
Solvite jamdudum mutas in cantica voces:
Dulcesque instaurate modos, queis vestra sonabat
Antè Sion, festas populo exercente choreas.
Ergone divinum terra audiet impia carmen?
Jessæisque feros numeris mulcebimus hostes?
O Solyme, ô Regum domus, & dilecta Tonanti
Limina! vosne animis ulla unquam deleat ætas?
Me priùs argutâ desuetum psallere dextrâ
Dulcis amor citharæ, & festivi gloria cantus
Deficiet, gelidoque hærebit lingua palato,
Quàm laudem, & vestros unquam obliviscar honores.

Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.

Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem;

Qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

Beatus, qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.



Lætitiæ prima hinc nobis ducetur origo :
Hinc veniet plaufus & carminis argumentum.
At tu cuncta tuo qui torques numine regna,
Indignum, Genitor, facinus punire memento
Gentis Idumeæ. Cafus juvat improba noftros,
Chaldæûmque iras refides fic increpat ultro :
Ite citi, portas fuccendite, vertite muros,
Convulfamque imis exfcindite fedibus urbem.
Infelix Babylon, crudelis tu quoque facti,
Ne dubita, folves pœnas. pius advenit ultor,
Et noftras æqua clades mercede rependet.
Felix ille operum, duris lactentia faxis
Qui fparfo allidet puerorum membra cerebro;
Venturos perimens vix orta in prole nepotes.





DE
IMMACULATO
BEATÆ VIRGINIS
CONCEPTU.



Onceptus vitii puros, fractamque Draconi
Cervicem Stygio, Mariæque insigne tropæum
Musa canit. Nunc, Christe, sinus illabere nostros
Aspirans: pulsisque caduca mente tenebris,
Da fas immortale sequi; fontesque beatos
Lucis inaccessæ, & totam explorare Parentem.
Tuque adeo, dominam supplex quam mundus adorat,
Mater ades: seu te stellantis lucida Olympi
Regna tenent; seu fors tellus prælata moratur,
Et tua præsenti dignaris numine templa:
Ingredere, & magnos meditanti extollere honores,
Virgo, fave, meritasque in carmina suffice vires.
Jam fatis promissa dies volventibus annis,
Quæ Superis homines æternæ fœdere pacis
Jungeret, & cælo terras sociaret amico,
Instabat. Syrias ea didita fama per urbes

Corda ciet populorum, & ſpes ingentibus ægras
Suſcitat auguriis. Tum demum pectore toto
Iſacidum genus omne ſacris advolvitur aris
Dona ferens, geminatque preces & fervida certâ
Vota fide. Si te ulla tuæ miſeratio gentis,
* Si quis amor tangit: monſtra, Pater optime, cælo
Lætificam nubem, ſævos quæ mulceat æſtus,
Optatumque arvis ſitientibus irriget imbrem.
Præcipuè Joachimus amicum Numen adorat:
Jeſſides Joachimus, avi quem plurima Regis
Virtuſque, & pietas, & mens præſaga futuri
Nobilitant. Olli tædis concordibus Anna
Nupſerat, Hebræas inter pulcherrima Nymphas,
Quum primus formæ nitor, intactuſque juventæ
Flos viguit: tunc in ſenium vergentibus annis,
Penſabat lapſum inſigni gravitate decorem.
Illa Dei quondam ſedes auguſtaque templa
Dum celebrat cultu aſſiduo, multaſque cubili
Inſomnis noctes, multos ex ordine Soles,
Fraude pia, dapibus furatur ſobria parcis:
Ex adytis procul & veli interiore receſſu
Vox venit, ac celeres portat reſponſa per auras
Expectata diu: Nunc fas tibi munere noſtro
Spes alere immenſas, ô felix prole futura,
Et Dominam paritura tuam, cùm ſegnior alvum
Clauſerit, & ſobolem jam deſperaverit ætas.
Ergo quater denas caro cum conjuge meſſes
Tempore ab hoc, totidemque hyemes aquilonibus actas
Viderat, increpitans cælum, & promiſſa repoſcens
Pignora. Non ſomni, non corporis ulla caduci
Cura movet: tota eſt optatæ in imagine prolis.
Et modò debilibus (quæ non ſibi ſomnia ſolers
Fingit amor?) trepidat nequicquam attollere palmis,

* Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum. *Iſai.* 45. 8.

Appressoque sinu rorem uberis irrigat almum.
Et modò blanditias media inter basia miscet,
Et faciles blæso invitat modulamine somnos.
Interea exundant torrentia gaudia fluctu
Nectareo, solvitque natantia corda voluptas.
At Pater omnipotens, & Patri æquæva Propago,
Æternúsque Amor amborum & sociabilis Ardor,
Conveniunt: quà fulguribus defensa serenis
Empyrei convexa alto se culmine tollunt,
Atque oculos sacris longè penetralibus arcent.
Tum Genitor placido primus sic incipit ore:
Nate, meæ vires, mea vox, mea solus imago;
Qui sine matre satus fœcundæ lumine mentis
Accipis æternos, & jugi nasceris ortu:
Aspicis humanam tot jam labentibus annis
Servitii duro curvari pondere gentem;
Aspicis, ac sortem mecum miseraris iniquam.
Et nunc ille ferox Stygii regnator Averni
Insultat cælo: spoliisque superbus opimis
Ventosas jactat voces, arisque minatur,
Et cunctis nos indecores detrudere templis:
Quem, ni sancta obstent juratæ oracula linguæ,
Compedibus vinctum æratis, Acheronte sub imo,
Protinus insanos cogam dediscere fastus.
Te verò decus hoc, Nate, & victoria poscit:
Tu domito referes insignem Dite triumphum;
Atque hominum spes, ipse viri circumdatus artus,
Restitues lapsas, tecumque ad sidera tolles.
Hæc Pater, atque ingens contrà sic Filius orsus:
Et memini, & pepigisse virûm pro crimine vitam
Non piget, ô Genitor, totumque dedisse cruorem
Amissæ in pretium non aspernabile gentis.
Nulla mora in Nato, fragili quin Numen obumbret
Corpore, & humanum discat tolerare laborem.
Sed non antè polo terras mutare jacentes
Fata sinunt, quàm regali de sanguine Virgo

Se mundo ferat, & tecum sortita parentis
Nomina, me gremio venientem ulnisque receptet.
Tunc Amor: Hæ nostræ partes, hæc munera sumo.
Protinus ætheria celerem de gente ministrum
Evocat, insignem vultu & radiantibus alis.
I celer, & volucres, inquit, prævertere ventos,
Naturæque meo mandata hæc nomine perfer.
Longævam in partus Joachimi suscitet Annam,
Atque uterum sterilem fœcundet matre Tonantis.
Te verò, te magna manent pro talibus actis
Præmia, divinæ cunas servare puellæ,
Atque latus cura circum vigilare fideli.
Dixerat: ille polum linquens secat aëra pennis.
Ceu quondam elisa fulmen de nube coruscat
Noctis in obscuro, magnoque fragore per auras
Aut pinum super, aut frondoso vertice quercum
Præcipitat, sequitur longo ingens tramite flamma,
Et sulco signat cælum, incenditque tenebras.
Eminet occiduos inter celeberrima fluctus
Insula, Inaccessæ nomen fecere minores:
Quò neque fas nautis laceram subducere classem,
Orbe nec avectas peregrino exponere merces.
Quippe illam tumido exultans circumsonat unda
Gurgite, ventorumque cohors statione perenni
Excubat, & vetito procul arcet litore puppes.
His Natura locis, sedes ubi triste beatas
Invasit scelus, & profugam diti expulit horto,
Constitit: aëriique domum sub vertice montis,
Gemmis & solido fulgentem adamante locavit.
Mille intus Genii fulvo stridentia poste
Limina habent; servantque vices, operumque laborem,
Ordine quisque suo. Liquidæ pars semina flammæ
Purgant, contractisque ablutos sordibus ignes
Includunt venis silicum: pars grandia terræ
Visceribus condunt auri argentique metalla.

His maris imperium, & ponti custodia sorte
Contigit : incumbunt salsos miscere sapores,
Alternisque movere undas, & sistere fluctus.
Illos cura manet potior, libranda Tonantis
Tela manu, trifidis moliri fulmina massis :
Seu quæ criminibus servat, justisque nocentum
Suppliciis : seu quæ terrens mortalia corda
Mollibus interdum flammis innoxia jactat.
Ipsa autem residens thalamo & penetralibus imis,
Telluri pallam gemmis auroque rigentem
Insignibat acu ; filisque undantia fila
Intendens, miraque coloribus arte colores,
Mollia nativis animabat texta figuris.
* Stabat Hyems canos glacie concreta capillos,
Et subter Boreas, Corique ad fræna jugales :
Ponè ingens agmen ; rigor, & penetrabile frigus,
Atque gelu, atque urens grando, tristesque pruinæ,
Nubilaque & nimbi, mistique fragoribus imbres.
Quaque tulere pedem, letali squalida mærent
Arva situ, mæret decussis frondibus arbos,
Attonitique hærent amissis fluctibus amnes.
Parte alia horrenti Phœbum sub nube latentem
Pinxerat, & tristi cælum velaverat umbra.
Alba nives simulant subtemina, grando lapillis
Fingitur, & teretes imitatur bacca pruinas.
Talia dum docto properat Natura labore,
Aligerum cernit manifesta in luce micantem,
Excussitque sinu calathos & dædala texta.
Tum procul : O summi imperio dignate Parentis,
Quæ te causa humilis famulæ sub limina sistit ?
Tantum effata, pedesque solo se abjecit ad imos.
Ille manu facilis levat, & sic excipit ore :
O rerum fœcunda Parens, quæ semina mundi
Arcanis alis augmentis, & numine servas,

* Festum Conceptionis in octavum Decembris diem cadit.

Hactenus in tenui luſit labor, aurea munus
Sint licèt aſtra tuum, terræque, & cærula regna:
Nunc opibus totis uſus, nunc arte magiſtra.
Noſti queis Superos votis, quibus Anna fatiget
Queſtibus, optatamque extundat ab æthere prolem.
His Genitor lacrimis, ſanctoque evictus amore
Annuit omnipotens, & inertis dedecus alvi
Promiſſæ exortu demum penſare puellæ
Cogitat. Huic tanta pro majeſtate creari
Os jubet, ac corpus formis cæleſtibus æquum.
Quare age, rumpe moras, pulcroque incumbe labori
Fidens: namque aderit cœptis ingentibus auctor,
Atque rudem ducet non ſueta in munera dextram.
Sic ait, & paribus cælo ſe rettulit alis.
At Natura Dei gaudens parere parabat
Imperio. Accerſit natas: ſtant ordine centum
Virgineo Nymphæ vultuque habituque ſorores,
Veſtibus in nodum vinctis, nudaque lacertos.
Pars phialis ſuccos & lenta coagula portat:
Semina pars vitæ, roreſque caloribus aptos
Fœtificis. Ipſa arcano ſcrutata receſſu
Urnam effert auro ſqualentem; ubi rapta ſepulcris
Heroum ſpolia, & tenues ſine corpore ſervat
Exuvias. Latet hîc quondam defuſus in artus
Sanguis, Adame, tuos, & juſtæ pectora prolis:
Quique acrem per juſſa haud mollia duxerat ardor
Thariaden, fortemque Iſacum occumbere ad aras
Addicente Deo, luctatoremque Jacobum,
Et magnam Joſephi animam, & præſtantia corda
Amramidum. Pugnax Nunni genus intus, & ingens
Manoides, neutrique puer Jeſſeïus impar,
Nunc quoque bella fremunt, indignanturque teneri.
Hîc etiam Iſacidum nullo diſcrimine matrum
Illecebras, caſtæque inſignia lumina formæ
Condiderat: quibus illæ animos & ferrea Regum
Pectora demeruere ſuis, pacemque tulere,

Ergo opibus gaudens tantis & munere Mater
Regna beata petit ſemper florentis Idumes,
Seque infert Annæ thalamis Natura per umbras.
Quam procul ut vitreo ſenſit Jordanis ab antro
Adveniſſe, ſuis placidus caput extulit undis,
Et virides Libanus ſubrexit vertice cedros.
Nec minùs auratas ſedes ſtellantis Olympi
Linquit Amor, magna Charitum ſtipante caterva,
Os habitumque Deo ſimilis: quem mutua jungit
Oſcula dum Nato Pater, æterniſque viciſſim
Suſpirant flammis ambo, & complexibus hærent
Unanimes, vitæ lætum immortalis honore,
Rerumque imperio & communi numine donant.
Illum cura movet tanti juſtiſſima partûs:
Ah! ne Tartareæ Virgo fuligine tabis
Affletur, patriumque trahat cum ſanguine virus.
Nam meminit furvi ut quondam dominator Averni,
Invidiâ, diroque nocendi accenſus amore,
Edenis furtim felici irrepſerat horto:
Læti ubi per virides lucos & florea regna
Perpetuo vitam ducebant vere parentes.
Ut colubri in formam ſubitò ſe vertit & ora
Lubricus: utque levi gliſcens per gramina lapſu
Arboris incubuit ramis, quæ ſola beato
Frondebat ſaltu, radiantibus aurea pomis.
Hæc ſed enim carpſiſſe nefas, & frangere morſu:
Si facerent, ſontes mors dura manebat. At ille
Artibus inſtructus Stygiis & fraude maligna,
Uxorem aggreditur; faſque immortale recondi,
Senſuſque ætherios fructu mentitur in illo;
Et varios fallax ſimulando prædicat uſus.
Utque dolos curſu ſenſit procedere læto
Improbus, ore ſuo decerpit ab arbore pomum,
Tartaream inſpirans animam, cæciſque venena
Morſibus inſinuans. Simul Evæ porrigit, Evæ

Jam dubiæ, jam fatali dulcedine victæ:
Urget enim furor, & promissæ gloria sortis.
Illa Dei jussus, propriamque oblita salutem,
Dente inhians avido malum lacrimabile figit,
Et trepidum firmat repetito crimine pectus.
Nec satis est periisse, virum ni perdita conjux
Advocet in partem sceleris, societque periclo.
Immemor heu! victusque animi exitiabile munus
Accipit, infandoque uxorius appetit ore.
Nec mora continuò grassatur in intima pestis,
Perque artus furiata luem, perque ossa venenum
Dissipat, & crudos acuit sub corde dolores.
Inde mali labes, tristisque exordia vitæ.
Illa nascentes gentile ab origine crimen
Ducimus, & patris luimus commissa nepotes.
Hæc adeo metuens properabat, opemque ferebat
Naturæ divinus Amor, molimina contra,
Orcique insidias. Jamque Annæ viscera miris
Fœta videt tumuisse modis: jam suspicit artus
Hospitio dignos & majestate Tonantis,
Oraque, cælestesque genas, & nocte sub ipsa
Formosos oculos. Nec nullum in corpore pulcro
Esse suum patitur munus. Stat lampada quassans
Sideream, & puro circum omnia ducitur igne
Membra Deus: ne qua antiqui contage veneni
Insideat patrio concreta in sanguine labes.
Quale metallifera in Cuba, vel montibus altis
Peruviæ, stridens coquitur fornacibus aurum,
Versaturque focis: dum protinus omne liquendo
Exudet vitium, spumamque ejectet inertem.
Virgineum haud aliter cælesti lampade corpus
Gaudet Amor lustrare, novosq; adjungere honores.
At summus labor, & tanti præstantior una
Pars operis restabat adhuc, includere in artus
Regnatricem animam; multis è millibus olim
Quam rerum legit sator, æternoque paravit

Consilio, gratæ fruituram munere lucis.
Jamque aderat tempus: nunc nunc succurrite, Divæ,
O mea turba, inquit: ferte arma, opponite cunctas
Agminibus Stygiis vires. Tu, Gratia, fido
Conde sinu venientem, & circumfundere flammis.
Vix ea fatus erat, cùm sacro effusus ab ore
Spiritus insinuat membris: hunc ordine longo
Prosequitur Charitum chorus omnis, & aurea pubes
Virtutum, donisque suis prævertere certant.
Interea de more toro languentia membra
Corripiens, tacitæ per opaca silentia noctis,
Fallebat precibus somnos & carmine multo
Jessides. Simul Anna oculos furata sopori,
Fata revolvebat tardæ promissa senectæ.
Quum Deus his subitò mentes præsentior implet:
Mortalique hebetes oculos caligine solvens,
Integros mira sub imagine Virginis ortus,
Insignemque aperit devicto Acheronte triumphum.
Ac primus senior tantos sub pectore motus
Non patiens, Annam his compellat vocibus ultro:
Unde mihi, ô conjux, trepidam pulcherrima mentem
* Visa tenent? Sterilis regali semine venter
Impleri, lætumque videtur fundere germen:
Hinc virgam enodi paulatim assurgere trunco,
Quæ pinus premat & montanas ardua cedros.
Illa autem pulcrum ramis, mirabile visu,
Induitur florem, divinos vertice sacro
Cui Deus ipse super recubans dat spargere odores.
O virga Isaciæ stirpis decus, aurea terræ
Progenies, & amor cæli, spes sera parentum,
Exorere, & ramis orbem felicibus ambi:
Optatumque diu, votis & mille petitum
Redde solo munus. Cupientem dicere plura


* Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini. *Isai.* 11. 1.

Anna vetat, mediis ſic interfata querelis:
Heu! quianam tanto fremuerunt Tartara motu,
Quidve, Draco veſane, paras? ſqualentia tabo
Colla, & terribiles immani gutture rictus
Aſpicio. ſtant ſanguineis lita lumina guttis;
Sulphurei abſiſtunt patulis è naribus ignes
Cum ſonitu; linguam vibrant rabida ora triſulcam.
Ah! fuge peſtiferos dentes, fuge triſte venenum,
* Letalemque animam, ſanguis meus. Eia Draconis
Terga premit, teneràque elidit guttura plantâ
Jactantis ſpumas necquicquam & ſibila Virgo.
Sic mira Deus attonitos ambage parentes
Ducebat, nota monſtrans ſub imagine prolem.
Ecce autem chorus Aligerûm delapſus Olympo
Exultat citharis, & feſta voce per umbras
Victricem celebrat Divam. ** Tu lumine puro
Auroræ in morem ſurgis: tu noctis opacæ
Nubila per, mediaſque nites ceu Luna tenebras.
Ut nunquam exuitur lucem capitiſque decentes
Sol radios: ut fulmineis exercitus armis
Infert ſe campo, terroremque incutit hoſti:
Sic te, Virgo, Dei donis & numine cinctam
Infernæ tremuere acies; ipſoque ſub ortu
Ultricem Stygii dominator ſenſit Averni.
Talia cantantes memorant. cantantibus illis
Jeſſides unà cum conjuge Numen adorat,
Inque vicem meritas ſolvunt pro munere laudes.

* Ipſa conteret caput tuum. *Geneſ.* 3. 15.

** Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulcra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? *Cant.* 6. 9.





ARA DRUIDUM VIRGINI PARITURÆ SACRA.

VIRGO decus cæli, gentis ſpes altera noſtræ,
Quam legit Pater omnipotens magis omnibus unam,
Magnorum adjutricem operum, pactique ſequeſtram
Fœderis eſſe dedit mortalibus; accipe, Mater,
Quem tibi nos tua progenies ſacramus honorem.
Nec verò te pœniteat cantantibus æquas
Indulſiſſe aures famulis: tu carminis hujus
Scilicet argumentum ingens: tibi noſtra laborat
Muſa uni: in te eadem curſu defuncta quieſcet.
Conſilii interpres ſacri paciſque futuræ,
Bethlemias cælo Gabriel allapſus in ædes
Cunctantem Divam, & ſanctæ violare timentem
Dona pudicitiæ ſermone ambibat amico,
Omnia tuta docens, reſeranſque oracula Vatum.
At Virgo, neque enim veris non credere dictis
Paſſa fides, tacitè ſeſe confeſſa minorem,
Annuit, & placido demum ſic ore profatur:
Haud equidem optavi, nec tantos invida honores

Præcepi unquam animo. Sed si tua certa voluntas,
* O Genitor, famulæ nec dedignabere vilis
Hospitia, en adsum : sanctos quin protinus orsus
Perficias nil deinde moror, neque jussa recuso.
Vix ea protulerat, cæli patuere recessus
Obicibus ruptis : multoque in lumine Verbum,
Omniparens Verbum patria de mente profusum
Exiluit ; castæque illabens Virginis alvo
Factus homo est, nostrisque pares Deus induit artus.
Continuò Libani de vertice pronubus Ales
Dat signum populis. Toto respondet ab orbe
Aligerûm pubes : quíque alto sidera cælo
Torquent, quíque cavas magno curvamine nubes
Suspendunt, & queis sortito mobile ponti
Contigit imperium, aut terræ commissa potestas.
Unà omnes Dominum studio certante fatentur,
Et variis gaudent venientem prodere signis.
Atque ea dum trepidas gentes ostenta morantur,
Ignarosque trahunt sensa in contraria Vates :
Advertit mites oculos Carnutibus oris,
Jam tum præcipuo Celtas dignatus amore,
Rex Superûm. Stat fixum animo, quando impia leges
Detrectat Judæa suas, cæloque rebellat,
Hanc gentem sibi perpetuis addicere pactis.
Quippe videbat utì quondam labentibus annis
Cognatus populus, genus alto à sanguine Franci,
Post domitas Alpes, Rhenumque, Albimque minacem,
Et Pyrenæi perrupta repagula saltûs,
Se patriæ tandem lætus reddebat ovanti.
Galli agnoscebant reduces, & fœdere juncto
Sponte sua regni in partem laudisque vocabant.

* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Luc.* I. 38.

Hinc mixto ſtirpem cernebat ſemine naſci,
Inſignem Superùm cultu & pietate futuram.
His ſuper atque aliis motus Regnator Olympi,
Nutu quo ſolitus volucres excîre miniſtros
Significat Michaëli, & dictis talibus infit:
Vade, age, fide vigil, celeri delabere penna,
Quà Liger irriguo felices temperat agros
Flumine; quà variis torquens erroribus undas
Sequana ſe toties fugit & ſectatur eundo.
Hîc monſtrorum expers, cultuſque ignara profani
Gens Druidum prima miſſos ab origine ritus
Servat adhuc, caſtumque aris defendit honorem:
Quamvis vana ſuos jamdudum inducere certet
Roma Deos, telluſque Jovem procul omnis adoret.
Tu pactorum illis, tu ſancti nuncius ibis
Connubii; & gravidam promiſſæ Virginis alvum
Numine concepto referes: nam gentis amatæ
Ex hoc credo tibi curam fatumque reſigno.
Tu populum latè dominantem auctumque tropæis
Ductor ages: quaque aut pietas aut læſa vocabit
Relligio, Natique, aut magnæ gloria Matris;
Illò alacres vertent ultricia protinus arma,
Et noſtro ardebunt animas impendere honori.
Dixerat. Ille Dei juſſis & munere lætus
Templa auro radiata & amœnas deſerit arces
Cæleſtis Solymæ, pronoque per æthera lapſu
Carpit iter. Cannâ pila ſegnior exit ahenâ,
Cùm ſilice excuſſo rapuere in fomite flammam
Arida nitra, viamque ſibi vi repperit ignis.
Jamque ille obliquos quà ſignifer explicat orbes,
Pictaque ſideribus loca tranſilit. omnis euntem
Stellarum chorus elato procul igne ſalutant.
Continuò occurrunt nubes & denſior æther,
Atque humiles ſenſim emergunt ex æquore terræ.
* Tempus erat quo rite ſacris operata juventus

* Vide Plinium l. 16. c. 44. ex quo hæc deſcripta ſunt.

Longævique senes viscum fatale legebant:
Cornua nam sexto Phœbe reparaverat ortu.
It longum lucis & opacis montibus agmen
Vestibus in niveis, & cincti tempora quercu.
Devenere locum, ramis ubi ditibus arbos
Gaudia fortunamque anni pulcherrima gestat.
Exclamant populi, & læta cum voce salutant
Demissum cælo munus: sonat avia longè
Silva pedum plausu, respondet vallibus echo.
Protinus antiquo lectus de more Sacerdos
Aëriæ sese frondosa in brachia quercus
Subjicit ascensu, gradibusque enititur altis.
Tum falce aurata viscum decerpit: at illud
Candenti Druidæ sagulo, manibusque pudicis
Excipiunt, magnâque ferunt ad limina pompâ.
Eubages interea, & præsago pectore Bardi
Dant membris solitos motus, & mystica dicunt
Carmina, virgultique sonant felicis honorem.
Ut lætis pubens foliis & vimine denso
Luxuriet, ramosque in amœnum circinet orbem:
Ut nitido referat lucentes semine baccas.
Tu Panacea, salusque viris; tibi mille juvandi
Nomina sunt: tu terribiles virtute chelydros,
Serpentumque immane genus; tu noxia longè
Monstra fugas, sterilemque avertis messibus annum.
Non te, sancte frutex, glebam molitus arator
Seminibus coluit jactis: non cortice fisso
Externis docuit peregrinum inolescere truncis.
Sed cæli pollente satu sub luminis auras
Exoreris, pulcra fœcundans prole parentem.
Sic quondam, nec longa mora est, sine semine nascens
Ætherium germen felici stirpe virebit.
Salve, vera Dei proles, decus addite terris:
Adventu nos, alme, tuo & tua protege regna.
Talia fatidico memorantes carmine sacram
Intraver

Intravere domum, quam vivo in pumice multus
Incîdit labor, & nativo muniit arcu.
In medio, fertis halans & messe Sabæa,
Ara fuit, nitidoque super de marmore signum,
Virginis os habitumque ferens: ea maxima quippe
Relligio Druidum genti, & Carnutibus oris.
Quis porro hanc illis aram monstraverit auctor;
Quis signum intulerit, paucis ab origine prima
Expediam. Cùm fatali de puppe Noachus
Natos, relliquias undarum & vindicis iræ,
In partem, quam sors sua cuique ferebat habendam,
Mitteret, atque in tres totum describeret orbem:
Dicitur Iapetum, quo patri carior alter
Non fuit, his ultro compellavisse, futura
Vaticinans. Nate auspiciis exorte secundis,
Cui pingues Superi terras feliciaque arva
Europæ, & montes argento auroque tumentes,
Necnon & sobolem spondent, quæ sidera famâ
Vincat, & innumeras tumidi maris æquet arenas:
Aspicis ut, quacumque ingens protenditur orbis,
Terrigenûm stirpem letalibus obruit undis
Offensus Genitor. Tot quondam ex millibus octo
Vix animæ superant, ævi spes sola futuri,
Quas tristi exitio & communi funere traxit
Incolumes. Menti hunc pietas subjecit amorem,
Lapsuræque olim cælo reverentia prolis,
Innuba quam mater pariet, mea maxima cura.
Nunc tu, nate, fidem hanc animis servare memento;
Inque tuos fac ut vigeat transmissa nepotes.
Ac ne quem capiant tantarum oblivia rerum;
Hoc signum, signumque manu fatale retexit,
Quod Deus ipse mihi supera demisit ab arce,
Quum nova sanciret conceptis fœdera verbis,
Munus habe: ac tanto credas cum pignore census
Te capere immensos, duraturumque favorem
Numinis. Heredes eadem fortuna sequetur.

Virgineam effigiem quisquis servare nepotum
Dignus erit, raptos nunquam ille queretur honores,
Eque sacra Regni pendebit imagine fatum.
Accipit Iapetus gaudens, meritasque parenti
Persolvit grates. Nec verò illusa fides est
Eventis. Tumidi tanto duce marmoris æstus,
Ventorumque minas, syrtesque & naufraga saxa
Exuperans, tandem dotalibus appulit oris.
Hinc Gomeri moriens donum immortale reliquit;
At Gomeres Gallo, quo gens auctore superbit
Gallica, & acceptum servat per sæcula nomen.
Ille Dei monitu Ligerina fluenta sequutus,
Carnutum insedit terras, & numine dextro,
Felix depositum monstrata in sede sacravit.
Atque illa missus Druidis ab origine fluxit
Relligionis honos, casti & reverentia cultûs.
Ergo ubi sacratam frondem ad vestigia Divæ
Deposuere; focis puri incenduntur odores,
Thuraque, & Assyrio sudatæ cortice guttæ,
Et myrrhæ fletus, & acerris balsama plenis.
It fumus cælo, spirant suffitibus auræ.
Et jam finis erat: rapido cùm vortice flamma,
Incertum unde micans, visco circumdata inhæsit,
Et sacrum arripuit latè nemus: inde sereno
Agmine dilabens oculos effugit hiantes.
His aliud primoque magis mirabile monstrum
Adjicitur, Druidumque improvida pectora turbat.
Nam Divæ insolito tentari viscera motu,
Ac velut in partus tumidum se tendere ventrem
Attoniti cernunt: nec tanta exponere cuiquam
Prodigia, aut cæli monitus reserare potestas.
Tum Michaël membris speciem mortalibus aptam
Dans circùm, densoque sub aëre numen opacans,
Prodiit in medios, manibusque silentia jussit,
Assimulans Prisci canos rugasque seniles:
Prisci, quem meritis non inferioribus ætas

Impoſuit Druidum ſolio & Carnutibus oris.
Atque ita divina cum majeſtate profatur :
Illuſtres Druidæ, voſque ô præſtantia Bardi
Pectora, queis tanto antè datum eſt præſciſcere mente
Caſta puerperia, & partus celebrare futuros :
Venit læta dies tandem atque optabile tempus,
Cùm nullo ſata patre, & virgineis hymenæis,
Implevit trepidam fœcundo Numine Matrem,
Mortali ætherium miſcens genus, alma Tonantis
Progenies. Hoc aſtra canunt, hoc terra fatetur
Ominibus tantis : neque nos oracula Vatum
Longiùs indubitare ſinunt. En ipſe Puellam
Hærentem thalamo aſpicio, & cæleſtibus altè
Defixam curis. Stat contrà flammiger Ales
Ex vultu pendens, nec ſe declinat ab illo.
Ipſa ſolo caſtos oculos pudibunda moratur :
Spemque inter partûs & virginitatis amorem
Affectu dubio trepidat. Quid tuta moraris,
O Virgo ? ſanctone etiam certare pudori
Poſſe Deum credis ? damnoſa ſilentia rumpe
Ociùs, & ſacram ne differ reddere vocem,
Unde ſalus terrarum, & cæli gloria pendent.
Aſpicitis ? Deus, ecce Deus ſalit æthere ab alto,
Optatus veluti reſolutis nubibus imber
Labitur, & penitus ſitientes proluit agros.
Proh pietas ! proh dulcis amor ! quæ tanta virorum
Gratia, quæ laus eſt ; ut caro in patre morantem
Unigenam, & toto recubantem pectore, longùm
Diſtraheres, curis onerans flagrantia corda ?
At te, magne Infans, cæleſtibus excita templis
Relligio, Pietaſque, & veri conſcia Virtus,
Atque antiqua Fides mortalibus exul ab oris
Jampridem, niveoque vehens Pax aurea curru,
Agglomerant venientem, & terras agmine cingunt.
Nec minùs obſcœnæ peſtes, Acheruſia monſtra

Diffugiunt : properantque alta se condere nocte,
Fœda Superstitio, & vultûs non simplicis Error,
Luxusque, Ambitioque & habendi dira Cupido.
Quare agite, ô Galli, præsens agnoscite Numen;
Et pariter Gnati, castæque Parentis amorem
Cura sit obsequio jam nunc meruisse fideli.
Talia dicentem lux circumfusa repentè
Vestiit Aligerum. Ceu quondam nubis opacæ
Victor, cærulea purus Sol restat in æthra.
Olli lux roseo frontem suffecerat igni
Atque genas : superant geminum duo lumina sidus :
Tortilibus radiis crines comuntur : at illos
Bissenis aptum stellis diadema coërcet.
Ipse manu secto virgam ex adamante coruscat,
Magnorum effectricem operum, quâ præditus omnem
Naturam ciet. Hæc sceptrum est, cùm legibus æquis
Componit populos & colla volentia mulcet :
Si quassante jugum renuunt cervice rebelles,
Fit mucro, atque rigens immani pondere clava.
Sed tamen ad placidos usus vis prima, decusque
Præcipuum. Hac duris largos è rupibus amnes
Elicit : hac signat pacalem nubibus arcum,
Fatidicisque rotis rutilantia sidera pingit.
Diriguere metu Druidæ : nec tanta caducis
Fulgura sufficiunt oculis durare tuendo.
Tum Michaël vultu trepidos & voce benigna
Compellans : Curas, inquit, secludite inanes,
Pellite corde metus. Adsum delapsus Olympo
Tutor ego invictæ gentis : nam Gallica regna
Ipse mihi Deus, & rerum commisit habenas.
Et nunc promissos per tot labentia partus
Sæcula, venturumque innupta è Virgine Regem
Pandere me jussit, finemque afferre laborum.
Sic fatus tangit cælesti cuspide marmor,
Et sacra titulum memorem sub imagine signat :
ARA TIBI, VIRGO NUMEN PARITURA, DICATUR.

Adjicit in Gallos fidei argumenta futuræ;
Divæque auxilio toties servanda periclis
Sceptra, sciens fatorum, & veri providus auspex.
Hîc Geticas acies Normannus & agmina Rollo
Usta per arva trahens Carnutum infuderat oris,
Partheniamque urbem dura obsidione premebat.
Stant contrà cives nequicquam, & mœnibus hostem
Armati prohibere parant. Ille acrior instat
Per flammas, per tela: augent discrimina vires.
Non oblita suos Virgo patrona clientes
Rebus in extremis. Vix sacrum attollere signum
Instituere, repens mavortia pectora terror
Occupat, inque fugam versæ dant terga phalanges.
Hîc dejectus equo, medioque in turbine belli
Divæ orabat opem non cassa in vota Philippus.
Diva videbatur lapso protendere dextram,
Majoresque afflare animos. Ille asper in armis
Instaurat pugnam, Francosque reducit in hostem,
Vi, ferro, incumbens. Sternuntur fortia leto
Corpora, Germano restagnant sanguine campi,
Vixque per exanimûm Mosa decolor exit acervos.
Parte alia fatorum & aviti nominis heres,
Contemta bellum pro majestate gerebat
Rex vultu atque animis præstans. Stat Flandria contrà
Sub duce fœdifrago tristes in prœlia cogens
Eumenidas. Sed enim præsentius æthere Numen
Virgo aderat Francis. Illa adnitente, rebelles
Marte cadunt: cadit ipse nefandi fœderis auctor,
Immanemque animam media inter tela relinquit.
At pius arma tholo Princeps suspenderat, auro
Fulgentem galeam, & loricæ nobile textum,
Et leves ocreas, & magnum desuper ensem,
Munere, Diva, tuo ducti monumenta triumphi.
Non procul æthereus fatali cuspide pictor
Horrendam rerum faciem simulaverat. Ecce
Turbo minax Francis & aheneus ingruit imber,

Exitium mortemque ferens. Jamque agmine facto
Austriades Aquilæ, conjuratique Leones
Se prædæ accingunt, rostroque & dentibus instant.
Tu pacem tantos inter, Rex Juste, tumultus
Poscebas cælo; & magnæ ad vestigia Matris
Sceptra reponebas Dominam confessus. At illa
Sidereum obtendens clypeum tela omnia in ipsos
Verterat auctores, propriisque oppresserat armis.
Te quoque nobilibus mixtum, LODOICE, tropæis
Cernere erat. Medio de funere raptus adibas
Carnutis templum Divæ, & votiva ferebas
Munera. Vadentem sequitur Regina volucrum
Pacifico alludens plausu, pennisque coronat.
Interea flammis invecta curulibus, ædes
Virgo suas propiùs vocem auditura clientis
Implebat: furiasque tibi, LODOICE, minantes,
Duris frænatas vinclis, atque ære gravatas
Calcabat pedibus. simul Hæresin igne trisulco
Dite renascentem patrias trudebat ad umbras.
Atque hæc artifici postquam miracula virga
Depinxit, tandem ex oculis evanuit Ales.
Tum Druidæ insueto perfusi Numinis haustu
Poplitibus flexis pariture Virginis aram
Amplexi circùm sistunt: Dominæque potentis
Servitio sese famulari lege suosque
Astringunt. Rursum sacri incenduntur odores:
Atque illos celeres studio certante ministri
Thuribulis clusos aureis Galilæa tulere
Mœnia, Reginæque, & adhuc in ventre latenti
Christo primitias devotæ nomine gentis.
Hinc amor amborum in Gallos: hinc rebus in arctis
Certa fides crevit, non defectura nepotes.





AMOR PRODROMUS PRO CONCEPTU ILLIBATO BEATÆ VIRGINIS

DRAMA.

DRAMATIS PERSONÆ.

AMOR. PARTHENIUS. GRATIA. NATURA.

PARS PRIMA.

SCENA PRIMA.

AMOR.

ADSUM beata ſede radiati ætheris
Præpes Tonantis famulus. Huc dignas Deo
Metator ædes, & poli hoſpitium capax
Parare juſſus venio. Inexpertus labor
Sedenim volentem terret, & cœpti rudes,
Conatu in ipſo, torpor aſtringit manus.
Ego ille rerum conditor, picti artifex
Parenſque mundi: cujus imperium audiens
Immenſa fluxit unda, vaſtoque ambitu
Complexa terras, faſtui hum. .io brevem
Campum reliquit: ille fabricator poli,
Pollente cujus ſpiritu afflatum chaos
Effudit aſtra, ſeque formoſam in diem

Nox spissa vertit : velle cui solus labor,
Nullaque facere distat à facto mora :
Hîc artis ac virtutis oblitus tamen,
Expersque prorsus consilî, incassum hæreo.
Theander, audi placidus : obtestor tuum,
Quo cuncta cernis, lumen, ut omisi nihil.
Sed Numen orbe majus angusto negat
Spatio teneri. Fas foret jussa exequi,
Nisi tantus esses. Commodè huc nobis gradum
Opemque fert Natura.

SCENA SECUNDA.

AMOR. NATURA.

Nat. Quàm optatus venis!
Sed cur relicto nunc petis terram æthere?
Amor. Theander ipse misit : & quæ nos fides
Hærere lateri semper, ac gressus sequi
Suadebat, eadem lege non molli jubet
Abesse. Sedenim dulcis exilii mora
Brevis futura est. Quin tibi his olim locis
Deum licebit cernere, & propiùs sacros
Spectare vultus. *Nat.* O mihi si quæ dies
Tam pura ferret gaudia! ecquando poli
Terræque dominos dabitur amplecti pedes!
Mene mea fallunt vota? sed tanti est tamen
Errore grato decipi, & solâ frui
Absentis umbrâ. quippe Naturam potest
Beare vel sic. *Amor.* Ne tibi plenam invide
Felicitatem : spem magis certa decet,
Auctore cælo, tollere in majus fide.
Mihi crede, non hoc gratiæ hærebit gradu
Amor Tonantis : nec sui usuram brevem
Dedisse populis, & levi solatio
Mulsisse luctus, sat erit. In terras pius

Cæli relicta sede migrare, & viris
Convivere hospes Numine exuto parat.
Nat. Mentes beatæ, cassa materiæ agmina,
Habete Olympum: colite felices plagas
Et amœna lucis regna: radiantem pede
Phœbum superbo premite, & astrorum domos
Calcate rutilas. Sorte contenta est sua,
Vestræ nec ultrà Terra fortunæ invidet:
Theandrum habemus. Quæ tamen tantum hospitem
Satis ampla capiet aula? Quod templum Deo,
Soliumve Regi surget augustum satis,
Et utroque dignum? *Amor.* Jamdiu incertam coquit
Cura ista mentem, fateor. at quàm me magis
Partes in omnes verso, tam fractus magis,
Experſque resto consilî. Occurrit nihil,
Præter laborem. *Nat.* Si quid hæ possint opis
Præstare, ferre si quid auxilii manus;
Habes paratam. Templa si cælo juvat
Æquare gemmis aspera, aut latè aureo
Pariete fultos arte moliri lares;
Tibi grata dites India effundet sinus:
Baccisque Ganges discolor, flavo & Tagus
Liquore currens, merita pretiosæ ferent
Tributa arenæ: tota materies erit
America. *Amor.* Quid? tu deinde sic speras fore
Hospitia domino digna? non si omnes simul
Utriusque mundi detur aggestas opes
Cumulare in unum: non poli quicquid plagis
Latet in beatis, si pari possis manu
Unas in ædes vertere, ornatas satis
Efficere liceat. *Nat.* Fateor, hospitium Deus
Sibi esse solus meruit: hîc reperit parem
Immensus aulam denique; aliubi exulat.
Non ista domini decora famulorum tamen
Obstare votis, & moras sancto decet
Injicere amori. nec Deus merita exigit:

Tua si dedisti, gratus es : facti obt ·et
Vicem voluntas. *Amor.* Ergo consilium sequor,
Et me labori comparo. *Nat.* Accedam comes,
Si pateris. *Amor.* Ad nos ecce Parthenius venit.

SCENA TERTIA.

PARTHENIUS. AMOR. NATURA.

Parth. Resiste ; quò te ? *Amor.* Quò Dei imperium vocat,
Amorque. *Parth.* Herile non bene imperium accipis.
Vivum parari poscit hospitium sibi ;
Non structa gemmis templa, non solido inclytas
Adamante sedes. quærit animatam domum
Vitæ auctor. Ergo cœpta consilia abjice,
Dictisque mentem adverte. Quòd dominum putas
Toto apparatu gloriæ, & latè sui
Splendore cinctum luminis, terras polo
Mutare velle ; falleris. Non convenit
Cum amore tanto tanta majestas bene.
Neque verò Solis fulgur illius ferat
Mortalis acies. Ergo dissimulans Deum,
Puellæ in alvo corpus humanum induet ;
Homines ut ipsos in Deûm sortem vocet,
Paresque faciat : tantus in amore est favor.
Amor. Miranda narras. *Parth.* Certa, & ex ipso mihi
Depromta veri fonte. Venturi sciens
Pronœa falli nescia, & cujus pavet
Oracla cælum, voce fatidica id canit.
Nat. Idem ipse, memini, dum vagos mulcet greges,
Levique citharam pulsat Isaides manu,
Cantabat olim pastor, & læto Deum
Vocabat ore. Quid trahis lentus moras
Cælestis Infans, germen æternum Patris,

Patri æqua ſoboles ? en tibi caſtos ſinus
Alumna Virgo pandit, & vitæ parens
Ardet vocari. Plura cantabat mihi
Oblita Vates : atque fatales ſacræ
Referebat ortus Virginis, pura Deum
Quæ ferret alvo. *Amor.* Nunc ſcio, templum hoc ſibi
Theander optat : pareo, juſſa exequor.

PARS SECUNDA.

SCENA PRIMA.

NATURA.

FAMOSA rerum mater, æternæ potens
Miniſtra mentis, gratiæ & formæ artifex,
Age dextra : laudis magna ſe pandit ſeges,
Sed & laboris. Non novis terræ ſinum
Ornare ſertis, atque ſideribus pares
Creare gemmas nunc vacat. Noſtræ hactenus
Fuit iſte ludus artis, & curas modò
Meruit minores. Hoc opus totam exigit
Naturam, & ultra ſi quid ingenium poteſt.
Spirans Amori, fœda quem neſcit Venus,
Aula extruenda : Regis æterni domus
Terreſtre cælum, Numinis vultûs rapax
Illexque forma; quæ Deum immemorem ſui
Sit redditura; quæ mihi quondam imperet,
Imò obſequentem quæ ſibi videat Deum,
Creanda Virgo eſt. Hoc age, & priſcum decus
Majore niſu vince. Nil dignum efficis,
Niſi tale deinde poſſe deſperas opus.
Huc cuncta formæ munera, huc primas nives,
Lilia, roſaſque prodigâ dextrâ juvat
Cumulare. Quicquid decoris Hebrææ nurus,

Quicquid pudoris, gratiæ, modestiæ,
Habuere quondam, Virginis prima inclytæ
Elementa fuerint. Fama sæclorum omnium
Confluat in unam: sit futurorum stupor,
Pudor priorum. Sed traho incassum moras,
Accingor operi. Cor mihi primus labor:
Dein pulcra moles principem quæque ordine
Partem sequetur. Finge cor cæli capax,
Regale, tenerum, mite, magnanimum, pium,
Et liberale, & igne castifico æstuans,
Unique Amori pervium. Hîc curis procul
Strepituque, solus otii sacri arbiter
Sese fruetur pleniùs, molli & toro
Capiet quietem. Cor erit æterni torus
Et sponda Amoris: molliùs nusquam cubet
Divinus Ales. Sed age, formandum est jecur
Sacri officina sanguinis: rubrum hinc decet
Manare vitæ flumen, & jugi agmine
Totos per artus ire multiplici alveo
Animabilem undam. Curre cælestis liquor,
Deifice sanguis, purpura in pretium liquens,
Tinctura Numen. Curre pereuntis salus,
Et publica orbis vita. Te longo sitit
Heu! victa tellus æstu, & extremum malis
Optat levamen. Finge nunc porro caput.
Erit os Amoris curia: ingenuâ micans
Fornix palati purpurâ laquearibus
Nil invidebit aureis. Hîc mobili
Solio recumbet, septa quod duplici ordine
Eburna cingent; quum viris leges suas
Mitis dabit tyrannus, & volentibus
Blanda irrogabit jura. Majestas Deo
Comes assidebit, & reis placido levans
Vultu timorem lenitas, & crimini
Parsisse facilis venia, longæque insolens
Clementia iræ. Nemo non sisti velit

Mite ad tribunal : ſcilicet dulces erunt
Quaſcumque judex exiget pœnas Amor.
Mox idem in oculis ludet ætherius puer
Lacteola carpens lilia, & caſtis roſas
Genis rubentes : fonte dein vivo natans,
Atque lacrimarum balneo, fervens ſinus
Quod igne faciet. At modò inſidias pius
Venator animis tendet, ac dulces dolos.
Nec arma deerunt. Nam ſupercilium dabit
Arcus, pharetras pupulæ, effuſi orbibus
Radii decoris ſpicula. His telis Amor
Indomita corda vincet, & totum jugo
Supponet orbem. Perge nunc reliqua exequi.
Sed ecce celerem Gratia huc vertit gradum.

SCENA SECUNDA.

GRATIA. NATURA.

Grat. Profana remove munera : indultum eſt ſatis
Vano colori. Scilicet magnum decus
Nurui Tonantis afferet cœno illita
Lucente facies ? Frontis oſtentet nives
Et lilia roſis mixta, conſortes lupas
Habitura Virgo laudis, & Venerem æmulam ?
Scelerum Theandri mater exuvias ferat ?
Decus pudendum tolle : vix probro vacat
Potuiſſe pingi. Gratiæ partes erunt
Ornare Divam. Majus humano petit
Cæleſtis anima munus : offerri nefas
Quod placeat oculis. Ergo fortunam ſuper
Felicis aulæ cælitumque gloriam,
Decor eſt petendus Virgini : puræ decor
Particula lucis, fulgor umbrarum inſcius,
Lux molis exors, flos inaſpecti viris
Atque anima pulcri : cujus ætheriæ faces,

Oculuſque mundi Phœbus, & picto aëra
Quæ cingit arcu, blandus animorum ſtupor,
Rudis Iris umbra fuerit. Hoc ipſum tamen
Parum videtur. Numinis totum decet
Offundere jubar Virgini, & vultu ſacros
Imprimere vultus. Ore ſimulabit Deum
Virgo; ac viciſſim Virginem referet Deus:
Suique imago mutua alternis erunt.
Nubes liquenti pura ſic cælo micat
Adverſum opaco lumen excipiens ſinu.
Pictore radio gaudet ad vivum aureos
Sol ipſe vultus ducere, & propriæ æmulum
Creare lucis. oculus ancipiti ſtupet
Suſpenſus aſtro; nec ſcit ad quos ſe priùs
Convertat ignes: par facit dubium nitor.
Non ſic imago montis auditas refert
Jocoſa voces; penitus infuſum ſibi
Ut Diva reddet Numen. Alto nam Pater
Quicquid volutat pectore; hoc felix idem
Breviore cogens ambitu Virgo exprimet.
Semel ore Verbum fatur æterno Deus:
Idem illa repetet, vivaque è terris procul
Reſonabit echo. Summus hunc rerum Parens
Natum fatetur: filium & Virgo aſſeret.
Meus, inquit ille, eſt; Virgoque excipiet, Meus.
Imago noſtri viva; tum Diva occinet,
Imago noſtri viva. Succlamat Pater:
Impendo in orbis victimam; Echo victimam
Animata repetet: victimam, curvæ Stygis
Valles remittent; victimam, vaſtum mare;
Omniſque tellus, victimam, ingeminans canet.
Demum ore mæſto, Pereat, exclamat Pater;
Pereatque, Virgo voce morienti adgemet.
Sed iſta quondam, luce cùm plena micans
Radiabit orbi. Nunc quoque in vitæ gradu
Ortuque primo, Solis æterni faces

Aurora nascens referat. Antiquæ luis
Procul hinc tenebræ : nescit hæc umbras dies.
Procul este monstra Tartari ; hæc vos lux fugat.

SCENA TERTIA.

AMOR. GRATIA. NATURA.

Amor. Hoc agite, Divæ : Virginis sanctæ in decus
Certare pulcrum est, dignaque ambarum gradu
Ambitio. *Grat.* Noster æmulos nescit labor,
Sociosque refugit. *Nat.* At manus famulas feret.
Grat. Opus inquinarent. *Nat.* Gratiæ ductum sequens
Peccare nequeo. *Grat.* Gratiæ ductum insolens
Ministra quondam sprevit. *Nat.* Heu ! culpam gravis
Sequuta pœna est. Vitia dedidici mea
Peccando. *Grat.* Sed quid deinde moliri paras ?
Clarumne tenui lampade illustres diem ;
Guttâ profundum, calculo terram augeas.
Nat. Probabo amorem : præmium hoc operæ invides ?
Grat. Cultu probabis. *Nat.* Munera adjungi decet.
Grat. Profana ? *Nat.* Quæ usu Diva sacrabit suo.
Grat. Queis impudica Laïs & Phryne nitent ?
Nat. Queis Juditha castæ gloriam, & fortis tulit.
Grat. Mortalia ista decora Divam non decent.
Nat. Mortalia Deam decora mortalem decent.
Grat. Placet una virtus. *Nat.* Corpore in pulcro magis
Placebit. *Grat.* Ut nox Solis illustret jubar ?
Nat. Suasque stellas nox habet. *Grat.* Flos est decor.
Nat. Erit ergo gratus. *Grat.* Est vapor. *Amor.* Thuris vapor
Adoletur aris. *Nat.* Nix levi minio illita.
Amor. Ille est pudoris proprius, & honesti color.

Grat. Superba cortex. *Amor.* Quæ tegit gemmas
  ſinu.
Grat. Tota illa fœnum gloria eſt. *Nat.* Fœnum
  ſuos
Habetque flores. *Grat.* Virus eſt forma, enecat.
Amor. Et ipſa virtus improbos inſons necat.
Grat. Alit impudicas illa Cythereæ faces.
Nat. Sol ſæpe peſtes innocens tetras creat.
Grat. At noſtra fucis dona diſcordant tuis :
I, pinge vultus. *Amor.* Quò fugis ? refer huc pedem.
Nat. Sic immerentes ſpernimur. *Amor.* Luctum
  preme :
Diſtractam amore vinciam æterno fidem.

PARS TERTIA.

SCENA PRIMA.

AMOR. PARTHENIUS.

Amor. GRATIA receſſit trepida, naturæ impiis
Sua convenire dona muneribus negans.
Parth. Arceſſe utramque protinus. *Amor.* Brevis eſt
  mora.
Parth. Genitale crimen, hoc agis ! per te ſoror
Diſcors ſorori pugnat, & ſociam abnuit
Habere laudis. Nempe Naturæ decus
Omne inquinaſti. Floris ingenui nitor,
Serpentis ex quo ſpiritu afflatus, luem
Cum luce cœpit ſpargere, & blando intulit
Mortem veneno : tempore ex illo rea eſt
Oris venuſtas, atque pendit non ſuæ
Supplicia noxæ. Feminis grande eſt probrum
Pulcras videri : formaque à vitio gradu
Vix diſtat uno. Sic Dei princeps opus
Spiranſque imago, ſceleris afflatu perit.

Nec in ore peſtis hæſit, aut vultus opes
Solùm impiavit : protinus totum ferox
Graſſata in orbem, cuncta fatali lue
Corrupit. Illa Floræ & hortorum decus,
Inermis olim, cuſpide & nulla minax,
Roſa explicabat ſponte odoratos ſinus,
Et innocentis copiam flammæ dabat.
Nunc denſa circùm ſpina crudeli rigens
Mucrone cupidam prohibet à tactu manum,
Plagam & minatur : fecit audacem ſcelus,
Cædemque docuit. Tempore ex illo quoque
Infecta pallent lilia, & mæſto nives
Languore mutant. Et ſuus gemmis nitor,
Sua unioni lux perît : viruſque habet
Omnis voluptas. Thura vix aris licet
Adolere : vix fas Numinis, citra ſcelus,
Audire laudes. Inter ardentes preces,
Et vota peſtis gliſcit : ac penè impios
Facit ipſa pietas. Quodque crudele eſt magis
Atque lacrimandum, januâ letum ſubit
Quâ vita eâdem. Quæ fovet corpus, necat
Animum voluptas. Si fugas illam, peris :
Periſque rurſum, ſi datâ exoptas frui.

SCENA SECUNDA.

PARTHENIUS. GRATIA. NATURA.

Parth. Adeſte Divæ. Pacis interpres voco
Ad priſca amoris fœdera. Has dirum ſcelus
Invexit iras, odia ſublatum auferet;
Rurſum & ſorores junget æterna fide.
Grat. Ergone veniat operis in partem artifex
Profana ſacri ? non feram. *Nat.* Primas tibi
Concedo partes : adlaborantem manum
Ne ſperne. *Amor.* Dum ſic reſpuis Naturæ opes,

Injuriosa es Virgini, & nimio illius
Amore peccas. Aspice ut mundi Parens
Tua ipse facto cœpta diverso improbet,
Dum pulcra pulcris sociat. Astrorum globos
Et gravida lucis corpora affigit polo:
Aptoque prudens fœdere ardentem igneâ
Solem coronâ cingit, & nitido decus
Adjungit auro. Concha pretiosum micans
Parit unionem: nec rosas unquam tulit
Urtica olentes, lilia nec horrens rubus.
Non habitat humiles pauperis vulgi casas
Regum propago: nec specu obscuro latet,
Sed luce gaudet gloria, & quærit diem.
An fœdus animum carcer & sordens luto
Cælestem habebit? mens Deo plena incolet
Vivum cadaver? Pace sit dictum tua;
Tuum ipsa munus perdis: & tristi vice
Ingrata fies Gratia, informi trahens
A sede vitium. *Grat.* Luce radiantem mea
Nec forma juvat externa, nec vitium inquinat.
Similisque Solis lumini, tango lutum,
Nec ipsa fœdor. *Nat.* Quam lutum nullum inficit,
Gemmæ inquinabunt? *Grat.* Ille gemmarum nitor
Blanditur oculis, dum luem menti implicat.
Part. Innocua forma est. *Grat.* Reddidit sontem scelus.
Nat. Tolles venenum. *Grat.* Decoris id partem facit.
Part. Tamen Eva fuerat pulcra. *Grat.* Pœnituit virum.
Nat. Deus ipse docta pinxerat vultus manu:
Ausisne sceleris dicere auctorem Deum?
Grat. Purum ipse dederat munus: at mulier malo
Corrupit usu. *Part.* Feminæ antiquum nefas
Meliore fato vertet, ac formæ suum
Reddet nitorem Virgo. Quid dubitas adhuc
Dare hoc sorori, Virgini, terræ, polo,

Mihi, tibique ? *Nat.* Si quid evaleant preces,
Supplicia, lacrimæ. *Grat.* Vincitis : dedo manus.
Amplectere ſoror. *Nat.* Vile mancipium voca.

SCENA TERTIA.

AMOR. PARTHENIUS. GRATIA. NATURA.

Amor. O grata amoris vincula ! ô pulcram vicem !
Ut vos lubens certatim in amplexus pios
Oſculaque ruere cerno ! Nobis hæc Deus
Prodigia fecit, pace dum veſtra decus
Cumulare certat Virginis, Diva & duas
Sociare in una quærit. An melior poteſt
Veſtræ eſſe fidei teſſera, aut vinclum arctius
Utriuſque, quàm ſi Virgo permixtas opes
In ſe recondat ? maxima ut detis, tamen
Majora meruit. *Nat.* Nulla me retinet mora.
Grat. Membra ergo finge digna venturo hoſpite,
Animique regnatoris æqualem manu
Extrue magiſtra regiam. Heroum fluens
Per mille venas ſanguis, & totidem ducum
Intinctus oſtro ; fontis & per me ſui
Primo nitori redditus, pulcræ tibi
Materia cæmentumque ſit molis, ſoror.
Fac quod neges feciſſe, cùm cernes, opus.
Nos animus ipſe poſcit. O quanta Deum
Sibi portione dividet ! nunquam halitu
Se largiore pectori humano indidit
Vitæ creator. Oris huic omnem ſacri
Afflabit auram, ſpiritu & toto imbuet,
Amator operis prodigus. Non ſic face !
Micat è coruſca radius, & Phœbo gravis
Diſpellit umbras ; Solis inviſi ut jubar
Mens pura referet. Triadis immenſum diem,
Et opaca luce ſpatia penetrabit, ſinu

Raptura Patris natum, & ambobus parem
Hausura flammam. Pectus hinc casto flagrans
Ardore, ductus sponte comitabit meos:
Etiam antevertat, sicubi sine me viam
Reperire fas sit. Nullus hic nebulis locus,
Nullus procellis. Ne levem flatum quidem
Olympus iste sentiet: partem infimam
Pax etiam habebit aurea, & constans quies.
Ego namque totam memet effundam super,
Penitusque menti prodigo lapsu influam,
Mei esse juris desinens. Formam & vices
Maria sumet gratiæ: etiam gratiæ
Parens feretur. Sed decet cœpta exequi.
Nat. Quodcumque possum offerre jamdudum ardeo.
Amor. Properemus igitur.

SCENA ULTIMA.

PARTHENIUS.

Quò feror? quis me mihi
Eripuit? Hortum cerno cælesti manu
Atque arte cultum. Plurima hic florum seges
Et copia omnis narium areolis fragrat,
Oculosque pascit. Ceteris præstat tamen,
Totoque supra vertice elatum premit
Turbam minorem lilium. Insueto coma
Candore lucens nivibus invidiam facit.
Gazasque olentes calyce formoso explicans,
Victas novo rubore perfundit rosas.
Sed ecce dirus anguis immensum trahit
Caudæ volumen, sibilis trucibus ferox:
Cui lingua triplex ore fulmineo vibrat,
Cruenta maculis lumina ignitis rubent.
Quò pestis illa verget? ubi ponet minas?
Heu me! omnis atro periit afflatus decor

Serpentis ore : languidum flores caput
Ægri reclinant, vixque reliquias suæ
Tuentur animæ. Proh dolor! sanctæ locus
Felicitatis horret ingrato situ.
Etiam, nefande, lilium? hunc tetra lue
Inficere florem tendis? immanis fera
Siste, & vel uni parce : nec tantum tibi
Permitte crimen. Ludor? an versa vice
Inferre letum dum parat, * mortem invenit
Inimicus anguis; & suo morsu perit.
Sic est : draconis germen infestum necat
Cæleste Virgo lilium : namque hanc modis
Imago miris & sacros ortus refert.
Ergo agite, Divam canite victricem Stygis,
Solamque vitii puram & antiquæ luis.

* Serpentes dicuntur lilii odore exanimari.





IN NATALEM

S. JOANNIS BAPTISTÆ
ELIAS FATIDICUS.

AD ILL. ABBATEM

PETRUM DANIELEM HUETIUM,

Epiſcopum Sueſſionenſem deſignatum.

VOs mihi nunc ſacrum natalem, ortuſque beatos
Zacharidæ pueri, quo tota exultat Idume,
Cui Libani & celſæ ſalierunt Thaboris arces,
In numerumque ſuas Jordanes impulit undas;
Dicite Cælicolæ. Nam primi nomen, & ingens
Præſciſtis longè decus; ignaroque parenti
Promiſſæ fato prolis monſtraſtis honorem.
Tuque adeo Iſacidum jam feliciſſima matrum
E latebris erumpe tuis. Tibi dedecus alvi
Iſta dies, ſteriliſque ſenectæ opprobria demit:
Atque moræ tanto penſat faſtidia partu.
Nec verò tibi conſuetos Lucina dolores
Attulit enixu in primo: nec dulce parentis
Quæſitum multo tribuit diſcrimine nomen.
Sed facili caſtus ſolvit ſe pondere venter
Sponte ſua. Qualis maturus ab arbore fœtus
Labitur; aut riguus liquefactis nubibus olim
Ros cadit in terras. Tibi enim, tibi Virgo pudicos
Fœta ſinus, totumque utero complexa Tonantem,
Adfuit, auxilium felix. Illa oſcula nato

Prima dedit; prima arridens ad pectora pressit;
Et tepido teneros artus involvit amictu,
Componens cunis; dixitque faventia verba.
Nec minùs Elysiis sanctorum examina Vatum
Astiterunt campis: radiato vertice Moses
Monstrificam quatiens virgam, citharaque decorus
Jessides, domitique Elisæus terror Averni,
Et Regum Amosides genus; & qui tristia bella,
Versasque urbis opes peregrini Euphratis ad oram
Dum gemit, ah! liquidas turbavit fletibus undas.
Venit & ignito senior per nubila curru
Thesbites: blandeque suum complexus alumnum,
Præscia venturi fatis sic ora reclusit:
Sancte puer, quo non alius sub luminis auras
Femineo major nixu, nec carior astris
Prodiit Adamidum Non te, florente juventa,
Consuetis victi illecebris genuere parentes:
Inque tuos ortus partem sibi nulla libido
Vindicat. Effœtos sed quæ succendit amantes
Cæli flamma fuit, stellisque simillima puris:
Unde novus fulges aurato Lucifer igne,
Antiquam removens noctem mortalibus ægris,
Præque tuo veniens optatum lumine Solem.
Sancte puer, non te mollis contagia vitæ
Crescentem inficient, blando illudetque veneno,
Corporibus, pariterque animis damnosa voluptas.
Sed simul ipse gradu poteris consistere, silvas,
Et deserta petes Solymis spelæa relictis.
Hîc mel agreste famem, tristique sapore locusta
Pellent, præteriensque sitim solabitur amnis.
Pro molli pluma, pro stratis murice pictis,
Nuda torum præbebit humus, tenerosque camelus
Intonsis horrens setis malè vestiet artus.
Interea nexu & terrenæ pondere molis
Libera mens, sedes rutilas inviset Olympi,
Unde illi genus: & Cælestum crebra fruetur

Colloquiis : Numerque, oculis mirantibus ipsum,
Hauriet, obtutuque hærebit fixa beato
Usque inhians. Nec sese unquam divertat ab illo :
Ni patriæ clamor, jactæque ad sidera voces
Languentum Isacidum, & duro sub fasce gementum,
Numine placato rebus succurrere lapsis
Continuò admoneant, finemque afferre malorum.
Quas autem lacrimas tibi, quæ suspiria mæsto
Corde trahet, Regem spectandi ablata facultas;
Virgineo quem clausum utero, sterili ipse parentis
Ventre latens quæsisti, exultastique reperto?
Illum inter scopulos, & seræ noctis in umbra,
Et cùm exorta diem mundo reparaverit Eos,
Voce vocans, Stygii orabis crudele tyranni
Imperium ruat, & mortales extrahat orco.
Ast ubi ter denis tandem natalibus ætas
Fecerit aucta virum ; loca silvis avia linquens,
Cærulei, monstrante Deo, Jordanis ad oram
Consistes, cælo venturæ nuncius iræ
Abramidis : ni mutati commissa retractent,
Seque suumque nefas purgent lustralibus undis.
Ergo omnis subito instinctu concurret ad amnem,
Et vacuas Judæa suis mirabitur urbes
Civibus. Has asper vestis rigor, atque verenda
Illuvies oris, victu & jejunia duro
Producta, illicient. Nec amaræ fulmine linguæ
Interea parces luctantia frangere colla
* Vipereæ gentis ; jamque ab radicibus imis
Admotam sterili ficu intentare securim.
Queis Urbis moti Proceres, Patrumque Senatus,
Promissum oraclis sibi per tot sæcula Regem
Advenisse ferent : dominumque agnoscere, & ultro
Sceptra tibi, ac rerum venient permittere habenas.
Tu constans animi temeraria vota refelles :

* Genimina viperarum. Jam securis ad radicem posita est.

Nec

Nec mentem tibi regnandi tam dira cupido
Inflectet, vetito ut libeat ſervire favori.
Macte nova virtute : his artibus ignea ovantem
Aſtra ſuper feret aurato te gloria curru.
Agnoſcis Juvenem, cui cælo allapſa columba
Dat plauſum ingentem pennis ; tonitruque ſereno
Blanditur, Natum appellans, vox miſſa per auras !
Mortali Deus, ipſe Deus ſub corpore Numen
Diſſimulans, ſacro dignatur gurgite tingi,
Miſceturque reis inſons. Quid dulcis amantem
Non cogit pietas ! Tu verò perfice juſſus
Grande miniſterium. Veniet tibi nomen ab illo ;
Baptiſtæque ætas mirabitur omnis honorem.
Inceſto antè tamen debes crudele tyranno
Ludibrium. Video menſas, quas potus equino
Sanguine Maſſagetes, Hyrcanique accola ponti
Horreat. Heu ! fractos laſciva puella per artem
Emollire gradus, & brachia docta movere
Ad numeros, madida ſaltatrix ſævit in aula :
Turpis & in pretium ludi petit impia mortem
Vatis : marmoreaque caput cervice reciſum
Fert diſco infandæ gratiſſima munera matri.
Hæc vultus, primaque oculos in morte natantes,
Oraque, adhuc tacitâ Venerem damnantia voce
Illicitam, digitis tractare immitibus audet :
Dira & pungit acu, vetitos ne turbet amores ;
Terrificamque jubet ſervare ſilentia linguam.
Atque hic ſingultu verba intercluſa relinquens
Theſbites, redit Elyſias non lætus ad umbras.





CHRISTO JESU IN EUCHARISTIA DE CORDIBUS TRIUMPHANTI

EPINICIUM.

STERNITE fronde vias & pictis compita velis,
Spargite serta manu,date thura,incendite odores:
Purpurea passim florentes luce fenestræ
Luxurient, vincantque suis funalia Solem
Ignibus. In cantus, & verba precantia, voces
Effundant liquidas pueri, innuptæque puellæ
Certatim : festi resonent toto æthere plausus :
Victor adest Deus, ecce Deus. Non qualis opacâ
Nube vehens olim Zephyros per inane jugales
Cum tonitru ciet, & tristes denunciat iras
Gentibus, inque reos cælo gravis ingruit ultor;
Sed felix placidusque suis, & dignus amari,
Ingreditur famulas populis lætantibus urbes,
His secum referens pacalis munus olivæ.
O Victor! nam quo potiùs te nomine dicam,
Magne triumphati sine vi, sine milite, mundi
Arbiter ac princeps? Gravibus non pressa catenis
Post currus it turba tuos, lacrimosaque Reges
Agmina felicis turbant spectacula pompæ.
Non tibi captivæ dejectis mœnibus arces

Invidiam, non regnorum fumantia busta
Conciliant, tinguntque tuas fuligine palmas.
Sed Pietas comes, & miti Clementia vultu,
Atque Fides, atque in dubiis certa anchora rebus
Spes, circùm duxere choros. Tibi prævia latè
Gratia iter sternit, manibus cælestia plenis
Dona ferens, totasque in vulgus prodiga spargens
Divitias. Tibi certatim plaudentibus alis
Siderei alludunt Juvenes: te regia cæli
Ambit, victorique humeros supponere gaudet.
Præcipuas sedenim reliquis cedentibus ultro
Implet Amor partes, magni pars ipse triumphi
Maxima. Non illo quidquam præsente, severi
Majestas habet, aut tumidi victoria fastûs.
Quin adeo metuens ne non tolerabile Numen
Mortales hebetet visus, refringit amicæ
Oppositu nubis radios, orisque serenat
Fulgura, quò fas sit cunctis impune videri,
Et solos retinet, queis pectora torreat, ignes.
Nec verò his Amor officiis contentus, inermem,
CHRISTE, manum reddit tibi; ne punire nocentes,
Ut cupias, possis: adimit quoque luminis usum,
Crimina ne videas: aures tibi denique claudit,
Ne pateant jactis ultura in Numina probris.
Sic te sponte adigis sub vincula: quique triumphas,
Ipse triumpharis proprio subjectus amori.
O animæ turres, & claustra impervia ferro,
Ne pudeat portis nunc demum ivisse reclusis
Sub leges, ipsâque viam fecisse ruinâ.
Tuque meum pectus, quamquam munimine circùm
Obseptum triplici, superes adamanta rigore,
Cede Deo, totoque sinu complectere ovantem.
Hoc petit, hæc illi est tantorum meta laborum,
Æternosque feret clemens tibi victor honores.





COR
IN AMORIS OFFICINA RENOVATUM.

ADDE fidem Vati, pronaſque his vocibus aures,
Poſteritas, memorique animo mea dicta repone :
Mira canam. Piceis nox orbem involverat alis,
Jamque poli media curſum ſtatione tenebat :
Cùm ſubitò viſa ante oculos diſcedere latè
Culmina, & immiſſa compleri luce penates.
Quaque ſecans umbras radiato limite ſulcus
Funditur, aurati faciens commercia mundi ;
Dius Amor, magnâ fratrum comitante catervâ,
Improviſus adeſt. Dependet eburnea collo
Telorum cuſtos : manus altera ſuſtinet arcum :
Altera præfixo vibrantem adamante ſagittam.
Et prior : O ſocii, quid enim mea jura moratur
Accipere, & domino ſubmittere pectus Amori ?
Nempe gerit triplex circa præcordia ferrum
Durus, & à blando nequicquam figitur arcu :
Fracta morâ cuſpis, ſolidoque illiſa reſultat
In roſtrum reditura caput. Quin irrita quando
Vis perit, & nullis rigor eſt ſuperabilis armis,
Ingenio certare juvat. Depromite cunctas
Nunc in opus mecum vires, artemque magiſtram.
Occupat imperium factis pennata juventus,
Nuda caput, veſtes cubito collecta revinctas.
Pars aptare focis ſedes, & condere ſaxo :
Pars ſilicum flictu vivacis ſemina flammæ
Excutit, & motis certatim ventilat alis.
Hic parat incudem, tuditeſque induſtrius aptos ;
Ille lacum fodiens propriis ſudoribus implet.

Interea furtim laterum compage soluta
Dius Amor pectus, nullo cum vulnere, miti
Scrutatur jaculo, fibrisque innoxius errat;
Si cor fortè manu demum tractabile flecti
Se sinat, & tactu saltem propiore moveri.
Erubuit sperasse Deus: simul angit acuto
Ungue secans nervos, & vincla tenacia solvit.
Corque æris rigidum, aut montani roboris instar,
Protrahit in lucem, sociisque ostentat. At illi
Protinus ardenti gelidum immersere camino;
Irritantque focos pennis, animasque ministrant:
Admovet ipse manus operi, massamque rebellem
Forcipibus stringens uncis, quà flammea vento
Vis animata furit, versat volvitque per ignes,
Creber, anhelanti similis: domitamque vapore
Subjicit incudi. Tum fratres ordine certo
Brachia docta movent, alternisque ictibus instant
Ad numeros, perguntque rigentem tundere massam.
Nec mora, nec requies: denso cor verbere tandem
Flectitur, ac flamma victum superante liquescit.
Vicimus, exclamant Juvenes: dominique triumphum
Ore sonant læto, plaususque ad sidera tollunt.
At Deus: Haud satis est doctam mollisse per artem
Cordis, ait, longo duratum frigus ab ævo:
Quin amet, ac nostris fiat penetrabile telis.
Accipiensque manu facilem sub pollice ducit
Materiam; & vario subigens medicamine, miscet
Tres lacrimas, totidem gemitus, quos flebilis olim
Expressit Metanœa sinu: precis adjicit imbrem
Mellifluum, & tenues divini nectaris haustus.
Denique cælestis rutilo mucrone sagittæ
Ipse suum nomen, titulumque inscripsit honoris.
HÎC AMOR ÆTERNOS GLACIEM CONVERTIT IN IGNES.
Hæc ubi facta, novum lateri cor reddit aperto:
Et Deus ex oculis superas evasit in auras.



SILVÆ.



SOMNUS DELPHINI.

DUM compressa silent patriis sub legibus arma,
Sopitúsque alta Mavors in pace quiescit;
Dum populi turbis procul, insanoque tumultu
Otia felices, miti sub Principe, carpunt:
Te quoque concessæ decet indulgere quieti,
DELPHINE. invitat Somnus, succoque madentes
Concutit ambrosio pennas, cunabula circum:
Impatiensque tuis ardet succedere ocellis.
Sed Jocus, & volucer tenerorum Rector Amorum
Stant contrà, grataque excedere sede recusant.
Ille papavereo cunctantes verbere pulsat,
Et pactas servare vices & fœdera cogit
Invitos. Quis enim locus ambitione Deorum
Dignior, aut quem armis potiùs defendere certent?
Tu tanti causa & pretium, Puer auree, belli;
Tu pacem compone, & molles mollior ipse
Junge Deos. Aget excubias cum fratre Cupido,
Atque tuas ambo versabunt ordine cunas:
Dum tepido infusus gremio te Somnus habebit.
Non ille obscœnis mentem turbantia visis
Somnia, pallentesque cava sub imagine larvas;
Sed risus faciles, & læto gaudia vultu

Objiciet, referet lusus nutricis amatæ,
Et fractos blæso ore sonos & carmina nota,
Osculaque ah! roseis toties impressa labellis.
En digito premit ora, jubetque silentia nutu
Sigalion. Cernis pretiosam ut serica noctem
Conopea tibi, atque invito Sole, tenebras
Inducunt dites? Sua pulcræ sunt quoque nocti
Sidera, sunt stellæ tenebris: carbunculus ardens
Innubisque adamas micat, & pura unio luce:
Lilia labentes referunt per cærula flammas,
Factura invidiam cælo. Non pulcrius Horæ
Obtendunt Phœbo velum, cùm fessus in undas
Reclinat caput, & thalamis se mollibus infert:
Murice quamquam illud, multoque illuserit auro
Intexens gemmas Thetis, viridesque lapillos.
Dum loquimur, victo Somnus jam corpore regnat,
Oppressitque oculos. Dormi, dulcissime, dormi.
Tempus erit, cùm te vigiles sub pectore curæ,
Cùm te laudis amor, magnique Parentis imago,
Objectæque animo laurus, bellique tropæa,
Insomnem feras cogent traducere noctes.
Seu contra immitem, renovato fœdere, Turcam
Arma feres, Scythicæque minantia cornua Lunæ
Infringes gladio; (neque enim tibi deinde triumphos
Fas sperare alios) seu toto avertere ponto
Prædonem Numidam, & priscæ Carthaginis arces
Dejecisse voles iterum, magni æmulus ingens
Scipiadæ. Tunc segnem oculis & pectore somnum
Excuties: positis tunc nudo in gramine membris,
Effultusque caput galeâ, longove supinus
Ære super, lituos inter sonitusque tubarum,
Tympanaque, & sævi vesana tonitrua Martis,
Indomitum assuesces raptim mulcere laborem.
At nunc ne pudeat noctes requiescere totas
Atque dies. facili favet omnis Gallia somno,
Inque tuo reperit secura sopore quietem.

Quippe haud desidiâ languens, turpique veterno
Marcidus; ast regno pretiosus, & utilis orbi,
Est sopor. Ille tibi succis vitalibus ossa
Irrigat, & puro perfundit sanguine venas.
Ille toros, robusque ausis ingentibus æquum,
Regalique pares animo tibi præparat artus.
Ut rosa, quæ primi quondam sub tempora veris,
Tenuis adhuc, necdum cunas egressa virentes,
Dormit, vel molli dormire videtur in umbra.
Jam tamen imperio nata est. Lasciva Favonî
Gens volitat circùm alludens, lenique flabello
Ventilat, & teneræ sudorem absterget alumnæ.
Pars frondentem agitant spondam, pars oscula libant.
Ast illi occulto interea Natura labore
Intus agens vires sensim atque alimenta ministrat.
Nunc ostrum aspergit foliis, nivibusque decentes
Temperat ingenuis flammas: nunc perlinit auro
Summum apicem, & pulcro crines diademate cingit.
Inde sinus grato aspirans perfundit odore.
Nec mora: vix cælo se tertia rettulit Eos,
Atque illam, insignem solio & stipantibus armis,
Plebs omnis florum admirans lætatur, & ultro
Reginam flexâ cervice reclinis adorat.
Auratis sic dum, Puer, & florentibus ostro
Incumbens stratis, gremiove infusus amatæ
Nutricis somno indulges: tibi dædala rerum
Impendit genitrix curas, studioque fideli
Advigilat, properans Heroa absolvere cœptum.
Quamquam ô nequicquam Natura hunc poscat honorem
Sola sibi. manet augustos nam prima Parentes
Laus opere in tanto. Patris ab felicibus ulnis,
Matris ab amplexu venient in corpora vires,
Inque animum. Insistent studiis certantibus ambo

Mores prole sua dignos, Annæque nepote,
Induere; ac teneræ totos se infundere menti.
Tu vivos monitus, & magna exempla sequendo,
Majora efficies: geminatis laudibus illos
Quin etiam superabis, utrique simillimus unus.



REGI DE BATAVIS TRIUMPHANTI

EPINICIUM.

Vicisti, Lodoice, ipsoque in limine belli,
Exuperas hostisque metus, & vota tuorum.
Præsidiis jam nulla fides super: & malè tutus
Intra castra pavor, vel deditione mereri
Festinat veniam; positis vel turpiter armis
Indecorique fuga, justum vitare laborat
Supplicium. Pauci obsistunt, quos mortis honestæ
Ambitio tangit, speratàque sanguine fuso
Nobilitas. Seri credent ea facta nepotes?
Nec tamquam vanos strepitus & splendida famæ
Ludibria accipient; quæ nunc Europa tuetur,
Moxque omnis recinet linguis mirantibus orbis?
Audiet Arctôo si quæ deserta sub axe
Zembla riget; si quæ Austrino sub cardine cæli
Gens alios cursus annorum, atque altera novit
Sidera: quæque bibit deprensum in origine Nilum,

Extremique hominum Japones, & inhospita tellus
Sinarum, & Canadæ regio vastissima silvis.
Audiet Americe, vectos maria omnia circum,
Immensique ausos pelagi se dicere Reges,
Nostrorum gladiis citiùs periisse Batavos,
Quàm se posse peti, per tam longinqua viarum,
Crediderant. Mora nulla: ruit Rex fulminis instar;
Et famam antevolans simul affuit, & simul omnis
Spes liquit trepidos. Solitum victoria cursum
Nec tenuit. Sed quos terræque marisque potentes,
Confisosque opibus Regum & socialibus armis
Viderat exoriens; idem, mirabile dictu!
Exutos opibus, terrâque marique subactos
Junius excedens vidit: tantæque negavit
Alterius mensis spatium fortuna ruinæ.
  O miseri, quæ tanta animos ignavia fregit,
Ut propè victores imbelli ex hoste triumphum
Jam pudeat retulisse? Decusne hoc demere Francis
Mens fuerat: cùm structæ opere ac molimine tanto,
Totque minis murorum, & latis undique fossis
Incinctæ, primis patuere assultibus urbes?
At stricto mallent juvenes irrumpere ferro
Tela inter, flammasque, & plumbi missilis imbrem,
Orsœam pugnæ auspicium, turresque Burici
Disjectas, fractis & propugnacula rostris
Vesaliæ, toticsque imbutam sanguine Ibero
Rhinsbergam, & Grollæ non expugnabile vallum,
Atque arcem bifido quæ desuper imminet amni
Imperitans: & quas non tam mihi dicere promtum est,
Quàm superare manu fuit, & subvertere bello.
  Scilicet hoc illis robur præsentia Regis
Magnanimi, hos stimulos cuncta in discrimina subdit.
Et labor est cursus inhibere & vota ruentum.
Aggressi nando Vahalis transire fluenta;

Atque Isalæ, Rhenique vado insultare sub armis'
Nec generosa rates virtus pontesque moratur.
Nempe suus cuique est sonipes simul & ratis & pons :
Dum procul adverso sub litore conspicit hostes,
Festinatque prior fugientum cædere terga.
Ah ! ne desperans animi, atque occumbere certus
In pubem egregiam peccet furor ; & malè quærat
Pugnæ ignominiam, crimenque abolere cruore
Borbonio ! non est captiva Hollandia tanti,
Ut tot sponte suâ caput objectare periclis
Heroes certent, ac cæde aspergere lauros.
Sed quid ego victos hominumque artisque labores
Indomito miror sub Principe cedere Francis ?
Ipsa etiam leges ultrò Natura recepit :
Et signis, LODOICE, tuis addicta fideli
Conspirare operâ, & socias conjungere vires
In Belgam tecum potuit voluisse videri.
Fortunate nimis ! siccas tibi misit ab Arcto
Cælum hyemes, nimbosque avertit veris aquosi ;
Ut tutum præberet iter victricibus armis.
Sorbuit ipsa lacus, & vastas terra paludes,
Seque sibi asseruit ; quo te Patremque mereri
Ac Dominum posset. Putei amisere liquores,
Et mediis miseros in aquis sitis arida torsit.
Quique olim Imperii fuerat tutelâ Batavi,
Nunc fluctu Nereus tumido exitiale minatur
Naufragium, tibi si renuant parere rebelles.
Non facient : portisque Amstelia tota reclusis
Occurret Victori : illam vicina sequentur
Oppida, prostratæque solo cum turribus arces
Orantes veniam Tu vincula demere captis
Gaudebis, LODOICE, jugoque exolvere colla,
Jam placidus, positoque ultoris nomine, Princep



CAROLO SANCTA-MAURO DUCI MONTAUSERIO,

Cùm Normanniæ Præfectus Rothomagi exciperetur.

NEUSTRIA frugiferæ Cereri gratissima tellus,
Fœta viris; cui stant centum cum mœnibus arces,
Cui portus totum missuri vela per orbem
Litora prætexunt; torvi Mavortis alumna,
Phœbi eadem studiis, lenique addicta Minervæ;
Pace simul belloque insignem Heroa salutat.
Illa quidem tristis luctuque obducta recenti,
Et cinere incomtos etiamnum sordida crines,
Principis heu! cari miserum testatur amorem,
Flebilibusque gemens alternat verba querelis,
Non aliter placitura tibi. Tamen accipit ingens
Casibus in tantis, quà fas est cumque, levamen;
Quòd gremio collapsa tuo amplexuque recumbit,
Nec totum leto putat amisisse Parentem;
Cùm venias patrii affectûs & pectoris heres,
Promittasque alium nobis in Præside civem.
Felix sorte sua Provincia! quæ tibi de te
Judicium Regis, verumque probavit amorem,

Cùm permissa tibi est. Æquos cum conjuge honores
Dividis. Huic Infans, magni spes altera Regni,
Parsque tuæ ejusdem melior concredita curæ est.
Ipsa sinu sacrum fovet officiosa fideli
Depositum : tibi se fatum & fortuna resignat
Publica. Delphinum custodit Julia Francis :
Tu mare Delphino, regnandaque litora servas.
Atque illum postquam membris florentibus anni
Addiderint vires, nil jam nutricis egentem
Accipies primæ custos rectorque juventæ :
Principis & claras docilem informabis ad artes,
Pressa Patris monstrans vestigia. Nam neque Graios
Sectari ille Duces, nec quos tulit æmula Roma,
Dignetur. quamvis Pellæi gesta Philippi,
Et gnati veteres miretur Fama triumphos,
Suppostasque jugo gentes, mundumque minorem
Cæsaribus. Puero LODOIX magis omnibus unus
Sufficiet : seu Martis amet decerpere lauros,
Seu malit capiti mitem circumdare olivam.
Quascumque is decorum partes laudumque sequatur,
Inde exempla petat : felix genitore magistro
Tiro ingens crescat, factisque æquare laboret.
Interea tamen annales, & nostra volutans
Tempora, te pulcræ illectum dulcedine famæ,
Suspiciet, nondum belli patientibus annis,
Alpinas calcare nives, perque invia saxa
Eridani ripis succedere : ubi inclytus Hector *,
Intutos Rosinani ausus defendere muros,
Ausonium virtute sua tardavit Achillem.
Hinc Casalis ruis auxilio, quam miles Iberus
Fulmineo obsessam quatiens circùm ære tonabat :
Immemor heu ! quantas tibi pro dementibus ausis

* Hector DE MONTAUSIER, qui ad balnea Bormii deinde cæsus est, Rosinanum obsidente Spinola, fortissimè propugnavit.

Deberet pœnas. Jam te Germana prementem
Agmina, & Austriaco mutantem sanguine Rhenum,
Regius admirans discet Puer, ut tibi fortes
Succubuere fero tandem certamine Boii;
* Ut servanda tuis Alsatia concidit armis:
Gaudebitque tuens Aquilas captivaque signa.
Tum fræno astrictum lustrabit Nerea, & actis
Clara tuis juga Dunkerkæ. Nunc ille tenacem
Obsequii, magnisque fidem laudabit amicis
Præclaram: nunc Santonicæ sub mœnibus urbis
Bella leget, vetitoque abductos fœdere cives;
Captaque vi castella hosti malè prodita Ibero.
Nec parcet lacrimis (has exprimet æmula virtus
Et pietas) magnam cernens per vulnera lata
Ire animam, & pulcra mortem pro laude pacisci.
Hæc & plura legens Rectori plaudet Alumnus,
Inque tuo propriam laudem sibi quæret honore.
Et meritò. Neque enim sævi in discrimina Martis
Cæca animi te vis rapit & temerarius ardor:
Ut quondam prætenta latronum in tela leones
Præcipitant. Fortem ducit mens provida dextram,
Consilioque jubet casus servire secundos,
Fortunam virtute regens. Nec sola domare
Corpora scis: animos, quæ maxima gloria, blandos
Cùm libet, eloquio cogis frænasque volentes.
Nec te qui cantu Thebanam condidit arcem,
Saxis ad numeros surgentibus, aut fide duras
Qui potuit tigres inflectere Thracius Orpheus,
Æquiparent. Faciles veniunt ad carmina Musæ,
Otia cùm gravibus juvat intermittere curis.
Nunc illas studiosa suo tibi Neustria mittit
Nomine: quæ sensus populorum & publica vota
Voce ferant, cumque officio testentur amorem.

* Sarnensi ad Brisacum pugna, ter congressus, ter cum equestri hostium vexillo rediit.

Magna quidem de te nobis promisimus omnes :
Spem tamen evinces meritis ; solumque querentur
Nil ultrà posse optari, te Præside, cives.



CELSISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO EPISCOPO PADERBORNENSI, &c.

ME novus urget amor : juvat ire & visere sacros
Amisii fontes : qua manet origine flavus
Luppia ; queis Paderæ se mœnibus unda coronet
Nascentem ; quæ famosus riget arva Visurgis ;
* Quos Romanæ locos clades & funera Vari,
Et libertati Germanæ erecta tropæa,
Arminiusque suis sanctum ac venerabile nomen
Nobilitent. Salve, ô cælo gratissima tellus,
Indigetum ac Regum cunis dignata superbis :
Cui quondam totum complexa potentia mundum
Cessit, & imperii præsagia certa futuri,
Victrices populorum Aquilas fascesque reliquit.
Sed non tantus amor Latii vestigia fastûs
Lustrare, & positam Drusorum manibus aram,
Castraque Saxonico quæ Carolus imbuit ultor
Sanguine, quosque sibi addixit victoria campos ;
Quantum optem magni vultus atque ora tueri
Principis : ille animum pompis magis omnibus unus

* Vide Monumenta Paderbornensia C. P.

Explere, & quoscumque viæ pensare labores
Sufficiat. Nam quas Naturæ prodiga in ipsum
Non effudit opes manus; aut quæ præmia virtus
Non tulit, immensum sortis prægressa favorem?
Si gentile decus, si nobilitatis avitæ
Quæruntur tituli, fumosisque illita ceris
Stemmata; vix ulli se Furstemberga minorem
Submittit Domus, ac ipsis se Regibus infert.
Scilicet antiquo Widekindi è semine crevit
Cattorum, ut perhibent, felix sub montibus arbos,
Radicesque egit latè, intexitque beatas
Angariæ valles umbris & Wesphala rura;
Sceptraque luxurians torvis metuenda Borussis
Emisit trunco, & fatales Thracibus hastas,
Et dominas rerum virgas tulit. Illa coronis
Implicitas lauros, & frondes mitis olivæ,
Non semel est mirata suis inserpere ramis.
Atque hinc perpetua Heroum per sæcula venit,
FERDINANDE, tibi series: bellique togæque
Artibus insignes Frederici: & fortia corda
Hermanni: ac fidei priscæ jurisque tenaces
Wenemari: & gaudens pro Relligione tuenda
Exilium tolerare, sacrisque impendere Gaspar
Magnam animam: Patriæque Patris Theodorus honestum
Qui meruit nomen, mitrâ lituoque verendus:
Atque alii quos hîc longus meminisse viritim
Sit labor. Hos inter rutilas, ut fulget Olympo
Astrorum flammas inter Diana minores.
Nam quota pars laudum, si fas numerare, tuarum
Nobilitas? Apices generisque insignia jactent,
Quos proprium decus, & justæ fiducia famæ,
Innitensque sibi, & factorum conscia virtus,
Deficiunt. Tibi plus debere fatetur Avorum,
Quàm tribuit, sanguis: pretium acquisivit eundo,
Et fonti acceptum cum fœnore reddit honorem.

Digna tibi imperio facies, & multus in ore
Majestatis honos: sed qui contentus amari,
Nil terroris habet. Mens pulcro in corpore regnat
Pulcrior. Illam oculi cælesti ardore micantes,
Ingenuusque lepos, & non ascita venustas,
Et sine felle sales, & lactea copia fandi,
Testantur, rapiuntque hominum mirantia corda.
Felices! quos affatu dignaris amico,
Queis depromis opes animo interiore repostas,
Arcanum ingenii totum & penetralia pandens.
Hîc Sophiæ ac Themidis domus, hîc Astræa relicto
Consedit cælo, & Regum prudentia custos,
Innumeræque artes, & clara inventa virorum.
Quas dum miratur juvenili in pectore dotes
Chisius, ac sese gaudens agnoscit in illis:
Ilicet arsit amore tui, alternamque petivit
Promisitque fidem. Cumque alto vertice regni
Jam fulgeret apex, & sacræ insigne tiaræ;
Ille sibi vitæ socium delegit, & ultro
Amisii è ripis, Romanam accivit in urbem,
Grande ornamentum Musis Aulæque futurum.
O quoties dum purpureo laudante Senatu,
Egregios actus Patroni condis, & ingens
Nomen Alexandri non impare tollis ad astra
Carmine, suspensis Tiberinus restitit undis,
Gratatus reduces Germano auctore Camenas!
O quoties sensum ante annos experta senilem,
Et grave consiliis pectus, rebusque gerendis
Mentem habilem, ac cunctos fortem superare labores,
Te Patriæ invidit Roma, optavitque Quiritem
Esse suum! Ac ni mors Fabium immatura tulisset,
Ires jamdudum Latio spectandus in ostro,
Inclyta quod meruit virtus, quod Numina debent
Justa tibi, studiisque optat certantibus orbis.

Absenti Padiborna alios decernit honores
Interea : flagrant pariter te Principe cives,
Et Pastore frui. Ne spes ne differ amantum,
FERDINANDE, morasque omnes abrumpe, vocatus
Assensu unanimo, & votis concordibus urbis.
Quis pompam illius lucis, quis gaudia fando
Concelebret? sacro cùm rite perunctus olivo,
Festivas inter voces, cantusque tubarum,
Cymbalaque, & gratis modulata sonoribus æra,
Ibas delubrum ad magnum, soliumque petebas
Aureus in baculo, & gemmantis tegmine mitræ.
Credo equidem cineres Patrui exultasse sepultos:
Feliçemque altis Divûm de sedibus umbram,
Et spectasse, tuo & lætam applausisse triumpho.
Nec verò optatis solùm Provincia sensit
Respondere fidem : sed spes & vota fatetur
Inferiora suis, tanto sub Principe, fatis.

Quæ dum Teutonicas miracula fama per urbes
Dividit, & gratis aures rumoribus implet:
Arrecti populorum animi, mirusque repentè
Corda incendit amor. Tacitis tua sensibus omnes
Imperia exoptant : studio præsumit aperto
Westphaliæ caput, & Bernardo læta volenti
Deligit adjutorem, ac jus dat habere secundum:
Bernardo, Batavum justo qui Marte rebellem
Nunc premit, & sævis pavidum circumtonat armis.
Ille pedo gladium socians, mitræque comantem
Imbelli obtendens galeam, gens impia quando
Fas omne abrupit, ferro flammisque refutat
Crimina, & eversas Divorum ulciscitur aras.
Interea cælum votis precibusque fatigans
Poscis opem, ac Superos melioribus addere castris
Sollicitus curas. Venient ad signa vocati,
Ne dubita, victoque dabunt ex hoste triumphum,
FERDINANDE, tuis : & quod clementia munus
Prætulerit, pacem adjungent victricibus armis.

Hanc Pietas, & prisca Fides, & casta sequetur
Relligio. Fugient fraudes, & amica furori
Hæresis, ora tegens mendaci turpia larvâ.
Cumque olim terras senior, te flente, relinquet,
Cælestemque animam cognatis inferet astris:
Tunc Paderæ, Amisiique, jugo devincta sub uno
Flumina pacatas volvent felicius undas:
Et FERDINANDI læto cum murmure nomen,
Insignique ferent Musas trans æquora pompâ.



AD EUMDEM

EPISTOLA.

FERNANDO, Patrem Patriæ quem libera dixit
Luppia; cui Franci palmas celeremque triumphum;
Hermiones victi pacem debere fatentur:
Dicere quam mallet Commirius ipse, salutem
Extremis longè Caletum mittit ab oris.
Nescio quod tibi me secretis viribus astrum
Temperat, & ductos per tot discrimina rerum,
Fortunæque animos arcano fœdere jungit.
Namque mihi insolito quatiuntur pectora motu,
Et mira capti sensus dulcedine gliscunt;
Fortè tuum nostras fando si perculit aures,
Incurritve oculis sparsum per carmina nomen:
Carmina quæ grati fundunt tibi plurima Vates,
Quæque ipse æternis dignaris credere chartis.
Nec me adeo ceræ capiunt, & scuta vetustis
Oblita imaginibus, titulique, & laudis avitæ
Relliquiæ illustres: nec qui fastigia Regum

Te tollit ſuper, atque ipſis cæleſtibus æquat
Pontificalis apex, mitræque inſigne decorum,
Et baculus terris pariter metuendus & orco.
Sunt hæc magna quidem, meritis & debita, Princeps,
Dona tuis. Sed non ſolos fortuna merentes
Adjuvat: & ſpreta quondam favor ambitioque
Plus virtute valent. Tua denique, non alieni
Quæ ſunt juris, amo. Me me rapit igneus ardor
Ingenii, & puro facundia purior amne,
Atque expers fuci, & nativo aſperſa lepore
Simplicitas. Qualem tulit ætas aurea Vatum:
Cùm regeret juſtis Romanum legibus orbem
Auguſtus, Pindi Mæcenas regna teneret.
Sanctius his etiam, & noſtro pretioſius ævo,
Quodque ipſe ingenii, vel corporis omnibus unum
Muneribus præfers decus, in tua jura volentem
Tranſtulit: eximius morum nitor, & bona mentis
Sobrietas, pompaque animus non victus honorum,
Fortunaque ſua major, & dignus habere
Quas contemnit opes: expertaque rebus iniquis
Sæpe fides: pietaſque alto ſub pectore fixa:
Relligioque, Dei cultum quæ ſervet & aras,
Quæque ſuum Chriſto melioribus aſſerat armis
Imperium. Cordi religaſti hæc vincula noſtro:
Quæ renovas, quoties ſcalpro perfecta fideli
Effigies oculis ſeſe mirantibus offert;
Et placida frontis mihi majeſtate renidens,
Permittit ſimul alternum, & promittit amorem.
Ergo ego, quando vetor voces audire loquentis,
Aſpectuque frui, calamo confabulor abſens;
Et deſiderii pennis invectus, amœnos
Nunc luſtro Paderæ fontes, & florea rura
Neuhuſii. Muſas nunc tecum in valle reducta
Cantantes, tantoque beatas Præſide adoro.
Et juvat auditos imitando reddere cantus,
Ac ſimiles tentare modos non viribus æquis,

Nec revocare gradum, caraſque relinquere ſedes
Poſſe putem, FERNANDE: aurem ni vellat Aquinas
Auſtero increpitans vultu, invitumque reducat
In loca ſenta ſitu, & pungentibus horrida dumis.
Jamque vale: feror ingenti circumdatus umbra;
Omnis & ex animo Phœbi lux pulcra refugit.



EIDEM

SOTERIA,

Cùm è periculoſiſſimo dyſenteriæ morbo tandem eſſet recreatus.

QUAS Superis reddam grates pro munere vitæ,
FERDINANDE, tuæ? queis Vatum turba piorum
Mecum aras cumulet donis te ſoſpite ſoſpes,
Sublato interitura, ſimulque premenda ſepulcro?
Ipſe quidem, tanti cùm nuncia fama pericli
Perculit infandis trepidas rumoribus aures,
Extemplo tenebris ſenſi per lumina obortis
Caligare diem. Coiit formidine ſanguis;
Defecere animi, riguitque immobile corpus:
Ut Nioben perhibent natorum ſtrage ſuorum,
Phineaque aſpectâ quondam obriguiſſe Medusâ.
  Membrorum interea vinclis, & mole caduca
Libera mens, quâ certa viæ tua ducit imago,
Ingreditur: celeres amor & metus addidit alas.
Non illam montes, aut plenis flumina ripis,
Æquoreive lacus remorantur. It æthere aperto:
Fulguris inque modum celſa ſuper aſtitit arce
Neuhuſii. Tunc furtim ipſis penetralibus audax

Irrumpit,

Irrumpit, vigilum nulli obſervata tuorum.
Atque ibi languentem, ſuſpiriaque ægra trahentem
Te videt. Exanguis macies nudaverat oſſa,
Inque tuo vultu pallorque, & plurima leti
Sederat effigies. Quantùm ah! mutatus ab illo
Principe eras, vinctum auratâ quem tempora mitrâ,
Regali & nixum baculo mirantur ovantes
Delubris populi, & ceu præſens numen adorant.
Muta metu thalamos cingebat turba medentum,
Et variis corpus ſuccis, atque arte fovebant
Pæoniâ, incaſſum. Morbi violentia cunctas
Herbarum exuperat vires, gliſcitque medendo.
Jamque propinquabat tacito Mors improba greſſu,
Sanguineam quatiens falcem. Tulit obvia contrà
Brachia flammatus pulcro Schatenus amore:
Inque ſuum avertit letalia vulnera pectus.
Labitur, & Patroni animam ſupponere fatis
Lætatur moriens. Tum nube incinctus Apollo,
Ne cari vitam ſibi non deberet alumni,
Venit. Eum longo ſtipabant agmine Muſæ,
Et Charitum chorus, atque exercitus omnis Amorū.
Ipſe videbaris dextram ſentire potentem,
Auxiliumque Dei. Senſimque redibat in artus
Et vigor, & primæ robur cum flore juventæ.
Torckius indigetum templis ſolvebat honorem
Votorum reus: & motis ad carmina nervis
Vatum animos cupida ſuſpenſos aure trahebat.
At læti pulſâ tandem formidine cives
Certatim dapibus curas, & nectare Iacchi
Laxant; nocturnaſque incendunt ignibus umbras,
Atque incompoſitis referunt ſpectacula ludis.
Dum ſibi gratantur; dum te patriæque parentem,
Cuſtodemque optant producere Neſtore vitam
Longiùs, Euboïcæque annos æquare Sibyllæ:
Excuſſus plauſu ſopor, & mens reddita membris;
Ac ſimul effugere oculos regalia tecta,

Et fontes Paderæ, & Romani limes Aliſo
Imperii. Sed non etiam tua dulcis imago,
FERDINANDE, mihi cùm ſomno lapſa receſſit:
Æternùm hærebit memori ſub pectore fixa;
Nec proprios unquam ſibi deeſſe queretur honores,
Thuraque, floreſque, & Muſarum carmina munus.
Illa quidem malè grata, tuiſque haud digna referri
Auribus: at purum domini teſtantur amorem.
Nec verò, ſi Dii vocem & plectra æmula Flacco
Annuerint, donentque Andinos vincere cantus,
Par laudi ſperem eſſe tuæ. Immortalia facta
Immortalis egent calami: ſoluſque triumphos,
Quos meruit virtus, potes æquiparare canendo.





ACANTHIS NEUHUSIANA

IN LAURO NIDIFICANS.

AD EUMDEM.

HUNC etiam, FERNANDE, tibi decurro laborem.
Provocat en ultro ſacræ de vertice laurûs,
Et grato ſtrepitu mea carmina poſcit Acanthis.
Carmina mellitæ quis Acanthidi ferre recuſet?
Namque tibi ante alias meruit placuiſſe volucres:
Solaque regalem volitare impune per aulam
Fas habet. Illa tuo famam quoque debet amori.
Ergo age; dumque avium certamina condere verſu
Aggredior, facti quæ conſcia nuper Hirundo
Uſque ab Veſtphalicis veniens mihi rettulit oris;
Ne condire brevi pigeat tua ſeria ludo.
Vere novo quum ſe in partus Natura reſolvit:
Quum pecus in pratis, liquidis & piſcis in undis,
Et genus alituum celebrat connubia ſilvis:
Ipſa etiam dulces ſenſit ſub pectore flammas,
Et blandum ſobolis concepit Acanthis amorem.
Quæritur extemplo thalamis accommoda ſedes.
Neuhuſii laurus ſecreto frondet in horto,
Tenuis adhuc, necdum ramos effuſa comantes;
Jam foliis tamen, & viridi ſpectabilis umbra:

Quam docta perhibent olim de fronte cadentem
Principis increvisse solo, & radicibus actis
Sponte sua sensim caput erexisse sub auras.
Exstruit hîc musco & molli lanugine nidum,
Ovaque deponens tepidis super incubat alis.
Nec captat latebras : scit se gaudetque videri,
Fertque palam pullis fidens implumibus escas,
Atque oculos læto garritu invitat heriles.
FERNANDI tutam favor & præsentia reddit.
Vicina insolito miscetur silva tumultu
Interea. Parvi lymphata mente Quirites,
Prædator veluti rostro instet & unguibus uncis
Accipiter, trepidant ramis, nidosque relinquunt.
Improbus aëria dat signum Passer ab ulmo,
Attonitasque truci ciet undique murmure turmas.
Illum livor agit, raptæque injuria prolis,
Et metus antiquo ne dejiciatur honore.
Agglomerant sese, confusoque agmine densant,
[a] Spinus amor Dryadum, [b] Chlorisque, & [c] Thraupis, & [d] Anthos,
Anthos cornipedum fremitus imitatus equorum;
Versicolorque [e] Merops, apibus certissima fessis
Pernicies; sumensque superbo à nomine fastum
[f] Regulus, ingratique altrix [g] Curuca [h] Cuculi,
Atque datura suo pœnas pietatis alumno.
Venit & [i] Ægithalus, [k] Juncoque, [l] Rubetraque, & acri
Auroram increpitans cantu [m] Fringilla morantem;
Et pectus rutilo [n] Batis insignita monili;
Argutæque [o] Melancoryphos non ultima gentis
Gloria; & auditum referens [p] Linaria carmen.
Nec docilem humanas effingere gutture voces

[a] Serin. [b] Verdier. [c] Tarin. [d] Bruant. [e] Mesange. [f] Roitelet. [g] Fauvete grise. [h] Coucou. [i] Grosbec. [k] Bergeronnete. [l] Rousfete. [m] Pinçon. [n] Gorgerouge. [o] Teste noire. [p] Lincte.

[a] Byrrhiolam ſegnis tenuit mora : nec ſua [b] Prognen
Deſerto tenuit proles jejuna cubili.
Tuque adeo fontes, riviſque ſonantia prata,
Fœtuſque ah! vixdum egreſſos natalibus ovis
Liquiſti, [c] Philomela, gravi perculſa furore.
His aliæ atque aliæ, ſpretum ſine nomine vulgus,
Addunt ſe ſocias, quas ſit comprendere verſu,
Et numerare labor. Nota conſiditur ulmo,
Umbroſo omne nemus quæ vertice deſuper urget,
Ipſa inſtar nemoris. Proceres tenuere cacumen,
Aſt humilis plebes imis ſub frondibus hæſit.
Tum Paſſer, cæcum invidia ſtimulante furorem,
Infert ſe mediis, rumpitque hæc pectore dicta:
Ite; an ſervitii prohibet pudor? ite volucres;
Utque decet famulas, ſub Acanthide flectite colla.
Tuque adeo tolerare jugum, Philomela, memento:
Et partos cantu, & miræ dulcedine vocis
Ponere jam titulos, faſtumque aſſueſce priorem.
Altera, te melior, regnum ſibi vindicat ales.
Vidi egomet, vidi, nec me mea lumina fallunt;
Marmorea quum ſe volitans efferret in aula,
Et folium laurûs ſublimi in fronde locaret.
Plura locuturum magno interfata tumultu
Gens avium fremit omnis, & horrida ſibila jactat.
Indignum facinus clamant, ſontiſque piandum
Supplicio. Furit ante alios, & crimen acerbat
Regulus: An plumæ tanta eſt fiducia pictæ,
Inquit, inacceſſos nobis ut ruſtica ſaltus
Incolat, & ſedem Floræ intra limina figat?
Carduus haud longè foliis riget hirtus acutis,
Unde illi nomen. Grata ſe jactet in umbra:
Et [d] pecus acceſſu ſtolidum defendere certet.
Nec levius crebris iras hinnitibus Anthos,
Nec levius ſtrepitu Fringilla incendit amaro


[a] Pivoine. [b] Hirondelle. [c] Roſſignol. [d] *Acanthis aſinos odit.* Plinius l. 10. c. 74.

Vociferans. Quis te volucrum timidiſſima, nidum
Victrice in lauro ſuaſit componere inertem?
Non capit imbelles arbos aſſueta triumphis,
Dignaque quam ſolus teneat Jovis armiger Ales.
At Daphnen certè fœdo violare puderet,
Chloris ait, partu. Tædam eſt exoſa jugalem
Scilicet, & Phœbi renuit connubia virgo,
Ut furta, indignoſque ſinu celaret amores.
Jactant paſſim aliæ convitia; mitior ira
Luſciniæ dictis contenta eſt ludere acutis:
Immo habeat, per me fas eſt, Neuhuſia Tempe:
Hîc picturatas florum explicet æmula pennas.
Ne tamen ah! turbet domini importuna quietem:
Agreſti doctas neu carmine vulneret aures.
Non dictis certare vacat, ſalibuſque jocari
Argutis, Paſſer ferus excipit: aſperet ungues,
Cui noſtrum decus, & communis gloria curæ:
Gentis & ultorem me juſta in bella ſequatur.
Stat nido inviſam tota cum prole parentem
Corripere, & ſævo penitus diſcerpere morſu.
Hæc frendens linquit nemus: & ſimul omnis euntem
Ponè cohors ſequitur magno clangore per auras.
Jamque adventabant hortis, murumque tenebant.
Audiit è cavea tum fortè elapſus eburna,
FERNANDO extremis demiſſum munus ab Indis,
Pſittacus, egregiæ cui par facundia formæ.
Et procul, unde animis hæc confidentia, dixit;
Aut quis præcipites agitat furor, agmine facto
Irruere, & ſacros domini violare receſſus?
At vos ille tamen ſedes habitare quietas,
Et felix donat ſub opacis frondibus ævum
Ducere, ſecuras medicatæ glutine virgæ:
Miſſilis & plumbi duros longè amovet imbres.
Nunc meriti immemores, volucrem quam jure dicavit
Ipſe ſibi propriam, frondenti pellere laurûs

Hoſpitio, diraque exſtinguere cæde paratis?
Si vos nulla loci, nulla & reverentia tangit
Præſidis; at roſtri non evitabile fulmen
Formidate mei. Miſeris ſuccurrere promtus
Frangere vim novi injuſtam, & punire ſuperbos.
His dictis æſtus animorum, & ſæva remittunt
Murmura: voxque pavore diu defecit hiantes.
Ecce autem è latebris, quò ſe, ſurgente tumultu,
Abdiderat; medio in cœtu, delapſa repentè,
Aſtitit, & cunctorum oculos avertit Acanthis.
Mirantur faciem egregiam, motuſque decoros,
Florenteſque auro pennas, maculoſaque colla,
Et plumam inſignem capitis ferrugine & oſtro.
Illa ubi patronum, defenſoremque ſalutis
Devenerata ſuæ eſt; ſumtâ formoſior irâ
Orditur: nec abeſt animoſis gratia verbis.
Si mihi cum Milvis prædonibus icta fuiſſent
Fœdera; ſi diros acuiſſem Vulturis ungues:
Haud equidem poteram gravius pro crimine tanto
Pendere ſupplicium, quàm cui nunc deſtinor inſons.
Me miſeram! inſimulor ceu gentis publica noſtræ
Pernicies. Odiis cives hoſtilibus inſtant:
Et mecum innocuam quærunt extinguere prolem,
Uno ne liceat finem ſperare malorum
Funere. Et ut meritò credar periiſſe, tyrannis
Objicitur. Quod enim nobis affingere majus
Fraus inimica nefas potuit? Per luſtra, per agros,
Hæc vulgò canit, hæc infenſo perſonat ore
Paſſer; & invidiæ nomen prætendit honeſtum.
Pura tamen vita eſt, nullique obnoxia culpæ.
Non ſibi vi queritur prærepta cubilia hirundo.
Non per me teneri mærent laniata Columbi
Pectora. Quis raptam lites intendit ob eſcam?
Quis mihi adulteria & fœdos objectat amores?
Fraterno quoties rubuerunt ſanguine plumæ?
Applaudit factis ultro ſibi Paſſer in illis.

Sed neque regna peto, nec regis ferre superbum
Ambitio est nomen. Vano ridendus honore
Jactet se Trochilus, tituloque ostentet inanes.
Quanquam si facies, nativæque addita formæ
Gratia, purpureis si qui nitor extat in alis
Cernitur; imperium poteram meruisse videri.
Rustica regales sedem succedere in hortos
Ausa fui, & lauris in vertice figere nidum.
Scilicet esse piam scelus est, facinusque luendum
Sanguine, securum pullis quæsisse mihique
Præsidium. Quis non ista mercede nocentem
Se cupiat dici? faciunt, quod fecimus, omnes
Quas maternus amor tangit. Sua pignora tuto
Ponere cuique loco votum est. Non tutior ulla
Visa mihi sedes lauro, quæ fulminis expers,
Et Phœbi, & Phœbo potioris semper amicam
Numinis est experta fidem. Si nacta fuisses
Ovorum latebram similem, Fringilla, tuorum,
Non hodie immitis plorares furta Cuculi.
Hic mecum recubent quotquot sine crimine nubunt:
Nec Daphnen metuant partu scelerare pudico:
Passeris incestus odit, turpesque hymenæos.
Belligeros nec amat tantùm exornare triumphos
Fronde sua: ingeniis & mitibus apta corona est.
Oscinibus certè non altera convenit arbos.
Quare age, dumetis tandem, Philomela, relictis
Hic potiùs libeat teneros evolvere questus.
Haud invita tuo, faveat modò maximus Heros,
Meque meamque probet sobolem, gratabor honori.
Illius ingentes mulcebis carmine curas:
Consuetis ego blanditiis, lusuque venusto,
Quà licet, obsequio junctum testabor amorem.
Manè, ubi prima diem radiis recluserit Eos,
Ibo salutatum, leni specularia circum
Alludens strepitu: sic dulce abrumpere somnos.

Quumque renidentem lustrabit floribus hortum,
Occurram pennis plaudens, gremioque recumbam,
Et blando figam digitis mille oscula rostro.
Forsitan & raucum discam desuescere murmur,
Incipiamque aures doctas mulcere canendo.
Quicquid erit, tua semper avis, FERNANDE,
manebo.
Sique licet de me quicquam promittere, sacros
Incoluisse lares, ultro captiva, merebor.
At vos, Sirenes nemorum, mitissima quondam
Pectora, civili rostrum maculare cruore
Parcite, & à nobis iras convertite in hostem.
Improbus insontem conficto crimine Passer
Obruit; ille suo pœnas pro crimine solvat.
Orantem plausu cuncti excepere secundo;
Immeritamque odiis petiisse fatentur iniquis.
Et jam infensa cohors, mutata mente, ruebat,
Passeris inque caput furias vertebat & arma.
Fugerat, & rapidis letum vitaverat alis.
Tum verò ad numeros certatim guttura solvunt.
Inque vicem gaudent concordi tollere cantu,
Et domini, & volucris domino felicis honorem.
Psittacus ipse prior dat carminis argumentum.
Tu populis, FERNANDE, tuis amor atque voluptas:
Tu Vatum omne decus. Per te Germania pacem,
Ingenuasque colit studiis florentibus artes.
Vive diu felix, cantus neu despice nostros.
Sic tua perpetuùm dici mereatur; & usque
Fortunata tuo se jactet Acanthis amore:
Prædita sic tanto lætetur munere proles,
Et pulli pullorum, & qui nascentur ab illis.





DE

EADEM ACANTHIDE FERDINANDO PRINCIPI SACRA.

REGIS Deorum jactat expertam fidem
Ales ministra fulminis.
Debet favori Pavo Junonis suæ
Intexta pennis lumina.
Columba Veneri placuit ; argutum tener
Fovet Cupido Passerem.
Invisa superis Noctua una se putat
Satis beatam Pallade.
Te Corvus ater, Phœbe, te canens Olor,
Læto ore patronum vocant.
Tuoque, Mavors, nomine insignem, tegis
Pollente Picum numine.
FERNANDI Acanthis tuta præsidio, negat
Egere Diis custodibus.





EIDEM

Cùm Gallus fabula ipsi mitteretur.

BRANDENBURGENSI, & Raymundo Montecucullo
Juratis valido defendere marte Batavos
Gratulor, ac tecum, Princeps mitissime, lætor
Turpi, sed prudente, fugâ quæsisse salutem.
Non quin sint meriti graviores solvere pœnas.
Post tot amicorum vastata furentibus armis
Oppida, post aras Divûm spoliataque donis
Templa suis, fasque omne tuo in discrimine ruptum:
Est leve supplicium tantùm fuga. Sed levis ira
Vatibus est, nec se gaudet satiare cruore
Humano, ingenuis salibus contenta jocari.
Sic lepido imbellem tua nuper acumine Musa
Perstrinxit Cuculum, prædatricesque catervas,
Quas egit solo Lodoïcus nomine victor
Præcipites, velut exorto decedere Phœbo
Nubila vana solent. Sedenim solatia cladis
Magna ferunt; chartâ æternâ fugisse legentur.
Nos etiam docti fabellam scribere Phædri
Exemplo juvat, & volucrum sub imagine ficta,
Crudeles Regum atque Ducum componere pugnas.
Hîc te Lusciuium Gallo admirabere junctum
Cum Cycno Anseribus fatali, cumque Columbo
Milvis exoso raptoribus. Hîc quoque plumis
Exutum propriis Falconem, dum malè sacras
Vexat aves, patrioque coactum abscedere luco
Ridebis. Nec te lauri sub fronde pigebit

Accipitri versam in Cuculum exprobrare figuram,
Arguto & raptos ulcisci carmine nidos.
Sed quid ego his autem tua, PRINCEPS, tempora nugis
Detineo? quamquam illæ animum testantur amantis,
At me probant tua quàm penitus sub pectore nostro
Hæreat effigies. Nam te noctesque diesque.
Cogito: te fratris præsentem munere cerno,
Ac videor rotas audire & reddere voces.
O quantum libeat Neuhusia visere regna
Et fontes sacros! Sed votis fata repugnant.
Quod licet, officiis anteire fidelibus omnes,
Oblatumque ultro meruisse enitar amorem.

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

JOANNI DE MONTPEZAT DE CARBON

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI,

Cùm NICEPHORUS *Tragœdia eidem à Collegii alumnis dicaretur.*

PONE modum curis, paullumque abrumpe laborem,
Qui grege te caro super, & custodibus ipsis
Exercet, cunctos vigilantem avertere casus.


Musarum festiva parat certamina pubes
Muneribus decorata tuis: oculisque vicissim
Servire, atque animis pia per spectacula tendit.
Maternis non hîc umbris agitatus Orestes
Feralem tristi funestat imagine scenam:
Non Medea viri crimen majoribus ulta
Criminibus: non incesti, genitore peremto,
OEdipodæ thalami: non prolis sanguine potus
Tantalides: non Alcidæ labor ultimus, ignis
Quem meruit. Casto meliora exempla theatro,
Te spectante, decet mites proponere Musas.
Si faciunt ludos, ludi sunt Præsule digni,
Christiadumque oculis. Dat sacræ nobile scenæ
Argumentum, ipso præfert qui nomine palmas,
Supposita heu! misero Nicephorus hostia quondam
Sapricio. Non illo alius contemnere dulces
Vitæ blanditias, ferroque opponere corpus
Fortior, & letum pro relligione pacisci.
Illius & lacrimas, cùm duri pectus amici
Mollire, antiquamque fidem revocare precando
Incassum instituet, populus mirabitur omnis.
Fors & erit, quondam ut juvenes crescentibus annis
Æmula succendat virtus, mortisque decoræ
Ambitio: & quem nunc imitando effingere gaudent,
Illum æquare velint, similesque referre triumphos.
Interea mores, etiam cùm ludimus, æquum est
Informare pios, magnisque ad fortia facta
Ducere imaginibus, Christique accendere amorem.
Sed quid opus tandem veteres evolvere fastos,
Et peregrina sequi vestigia? propria virtus
CARBONUM est pietas, vestræque domestica genti:
Unde petant morem, quos famæ haud vana cupido
Sollicitat. Nam seu patriam defendere certant,
Seu castos ritus, Romanaque sacra tueri,
Vel pacis tractare artes; domus omnibus una
Sufficit. Illa viros pariter fortesque, piosque,

Quos miremur, habet. Morinorum mœnia testor,
Albanasque arces: ubi quondam sanguine fuso
Juratam magni Heroës Regique, Deoque
Signavere fidem. Caleti obsederat urbem
a Sub duce Francigena, fatis melioribus usus
b Austriades. Et jam centum æra tonantia flammis
Proruerant muros: rupto stant aggere contra
Hinc CARBO, hinc bellum. Bis vulsis mœnia signis
Adversæ irrupere acies, bis reppulit illas
Fortis avus. Sed enim non uno vulnere fessæ
Deficiunt dextram vires: cadit obrutus armis,
Victoresque premens prostrato corpore vincit;
Quaque licet, muris subeuntem submovet hostem.
Parte alia genitor Tarnis dum pugnat ad oram,
Albanoque urget clausos sub monte rebelles;
c Principis ante oculos funus laudantis honestum,
Et cælum pariter miles, martyrque petivit.
Tu quoque claræ inter tot fortia pectora gentis,
Illustre exemplum, & memorabile laudis avitæ
Nomen eras; nisi te pietas adjungeret aris,
Lenibus & studiis, rejecto Marte, dicaret.
Quanquam hîc bella etiam pugnax sine sanguine virtus
Sustinuit magnis animis, atque intulit ultro.
Seu cùm impubis adhuc docta plaudente corona
Colligeres sophiæ lauros, & pulvere honesto
Sordidus acciperes meritam certamine palmam.
Seu cùm immortali gladio, & cælestibus armis
Instrueres magnam graviora ad prælia mentem,
Certa sequens Patrum gressu vestigia presso.
Jam tum discebas venturo infringere vires
Errori, propriis præludebasque tropæis.
Quis dicat quantas cornu Natura benigno

a *Rhone.*
b *Albertus Cardin.*
c *Ludovici XIII.*

In te effudit opes ! quantis proventibus auctæ
Ingenio crevere tuo ! Cum ſanguine venit
Ducta per immenſam ſeriem Comitumque, Ducumque,
Et dominis etiam terrarum innexa coronis
Nobilitas. Titulos atavorum inſignibus ornas
Ipſe tuis : quæque eſt aliorum gloria major,
Hæc in te minima eſt, Heroïbus eſſe creatum.
Si dignam imperio ſpeciem vultuſque verendâ
Majeſtate graves cælum dedit : ipſe ſereno
Imperium mollis riſu ; metuenſque timeri,
Majeſtas quod habet fulgur, clementia demit.
Nulli difficiles aditus : patet omnibus horis
Janua, nec fandi tempus captare neceſſe eſt.
Jam quale ingenii robur, quàm vivida mentis
Fulget ubique acies, quàm rebus prona gerendis
Dexteritas, quæ conſilii fiducia, nunquam
Succeſſu fruſtrata ſuo ! Prudentia victrix
Fortunæ, & casûs, æquâ regit omnia librâ :
Ardua quæque aliis, vel deſperata videntur,
Explicat, & curſus cogit ſervare ſecundos.
Res curare ſuas ſacer Ordo, Patrumque ſenatus
Temporibus duris, regali juſſit in aula.
Plena laboris erat provincia, plena pericli
Conciliare pedum ſceptro, palatia templis ;
Nec civis violare fidem, nec prodere ſancti
Jura miniſterii. Votorum ſumma fuiſſet
Hæc aliis, tam difficili ſe calle ferentes
Non titubare gradu. Medio in diſcrimine vadis
Intrepidus, Regiſque, & Patrum jura tueris,
Regis apud Patres, Patrum defenſor in aula.
Quodque magis mirum eſt, partes rationibus ambæ
Et dixere ſuis ſimul, & ſenſere faventem.
Nec ſemel hæc perſpecta fides, laudataque virtus
Solemni in cœtu, quo ſacro ex Ordine lecti
Conveniunt de more Patres, cùm publica rerum

Cura vocat. Quoties, Procerum mirante senatu,
Discordes animos, populisque inimica ferentes
Consilia, eloquio & facundæ fulmine linguæ
Fregisti? Quòd Volcarum Provincia floret,
Quòd servat leges & municipalia jura,
Quod gemini sperare audet commercia ponti,
Munere quòd pacis fruitur, quòd Regis amore;
Hoc tua sedulitas illi, & prudentia præstat.
Hinc illi plausus, hinc te ad fastigia rerum
Sponte sua ducens favor, & sine crimine prensans
Gratia: quæque istos tibi sola petivit honores,
Virtutum ambitio, turpis secura repulsæ,
Præmiaque exuperans meritis: quæ maxima debet
Roma tibi, Biturix votis certantibus optat.



GALLUS NUMIDICUS

AD

V. C. HEMERICUM BIGOTIUM.

Illa, vides, cortis dominatrix ales opimæ,
Cæruleis paleis, minioque ardentia multo
Colla gerens, cristamque ostentans vana minacem:
Quæ passu ingreditur per gramina læta superbo:
Expandensque alas, pictæque volumina caudæ,
Attonitum visu vulgus plebemque minorem
Territat, & pompa obsequium sibi quærit inani:
Accola Bætis erat, cui vis invicta Deorum
Abstulit humanos, mutato corpore, vultus.
Digna cani res est: tu dictis adjice mentem,

O decus, & noſtræ cura, HEMERICE, Thaliæ.
Quà propè Getulum, ponti diſcrimine parvo,
Deſpectat litus meta Herculis ultima Calpe:
Imperium in populos durum exercebat Alaſtor,
Geryonis de ſtirpe ſatus: ſic fama ferebat,
Et mores fecere fidem. Vultu horridus atro,
Nulli aditu facilis: contemnere ſuetus amorem,
Dum metui ſciret, ſceptro ſubmittere leges.
Cætera ventoſa melior contendere linguâ,
Quàm pugnare manu: timidoſque laceſſere fortis,
Torva virûm vix ora ferens. Tamen inclytus armis
Ille celebratur, tanta inconſtantia famæ eſt?
Et volitat longè bello memorabile nomen.
Conveniunt juvenes diverſis partibus orbis,
Ingentes actus, magnorum exempla laborum,
Rege ſub indomito viſuri. Venit & ipſe
Gallicus Alcides, ſed non manifeſtus, & inter
Confertos latitans. Urebat ſcilicet illum
Æmula laus, factiſque ſuis jam noxia virtus.
Excipit hos torva cum majeſtate tyrannus.
Utque ſibi accedat major reverentia, vultum
Cæruleis pingit maculis, minioque rubenti
Inficit in lunam ſinuatæ cornua barbæ.
Dat collo circum tubulis undantia criſpis
Lintea: rugoſumque ſinus componit in orbem,
Glutine triticeo ſaturos, amyloque rigentes.
Mobileque ad numeros latus & veſtigia librans,
Magnifice ductum à tergo circumſpicit enſem,
Seque admiratur, cultuque ſuperbit in illo.
Tum graviter ſpirans, tumido ſic ore profatur.
Diſcite magnanimi juvenes quam laudibus impar
Fama meis fuerit, veroque minoribus aures
Implerit veſtras: licèt augeat omnia rumor,
Et nondum viſis mendax faſtigia rebus
Addat in immenſum. Non damna veretur Alaſtor
Ulla ſui decoris: majoremque agnita virtus,

Quàm narrata probat. Vos visa docete nepotes.
Antè tamen breviter veteres audire triumphos
Præstiterit. Subdunt animis ingentibus acres
Facta ducum stimulos, partæque in pulvere lauri.
Ergo rudimenta, & nascentis pignora laudis
Prima fuere, feros manibus lacerare leones,
Pressisque immanes elidere faucibus ursos,
Nudum armis, fidentem animis. Quid Græcia jactat
Terrorem Nemees Alcidæ robore victum?
Plura puer feci. Virtus crescentibus annis
Ipsa etiam crevit. Mutavi saltibus urbes,
Aque feris arma in populos victricia verti.
Hic quoque par fortuna fuit. Vix moveram in hostem,
Et jam victus erat: pax & discrimine parvo
Bella sequebatur, nostrum poscentibus ultro
Gentibus imperium: pro me rem fama gerebat,
Vixque omnis Libye pugnam suffecit in unam.
Ergo novos orbes, penitusque reposta profundo
Regna sub oceano, vixque ipsi cognita Soli
Quærere consilium est: ne virtus limite mundi
Æstuet angusto, pigraque in pace senescat.
Repperimus, sceptris accessit Vesper Iberis:
Flaventesque auro montes, atque æquora conchis
Gemmiferis constrata, suis victoribus offert
Americe. Sed & hæc, fateor, victoria multum
Non habuit laudis. Quid enim submittere inermes
Laudis habet? Peperit justos Europa triumphos;
Dum, quos sit pulcrum mihi vincere, suscitat hostes.
Germanos domui: pendit captiva tributum
Ausonia: infrænes Siculi mea jura verentur.
Non libuit bellum Geticis inferre pruinis:
Defensamque gelu, claustrisque nivalibus Arcton
Quærere, visa fuit res nostro indigna labore.
Una jugum sedenim collo quassante recusat

Gallia, luctaturque ſuis animoſa ruinis
Nequicquam. Facit hos animos, redditque ſuperbam,
Neſcio quis noſtræ jamdudum debitus aræ
a Ogmius. Atque utinam campo deprenſus aperto
Suſtineat mecum juſto contendere Marte!
Ille amens noſſet quid vano diſtet Alaſtor
Hercule, quàm levibus præſtent mea vincla catenis.
Non potuit lentum ulteriùs cohibere furorem
Ogmius: & vocem mentis turbante tumultu:
Coram adſum quem poſcis, ait, mactandus ad aras
Victima grata tuas: votivum perfice munus,
Quando tam facilem ſpondet victoria palmam.
Nec plura his ſinit ira loqui. Diſcedere vulgus
Inde metu mutum jubet, & dare libera preſſis
Ordinibus ſpatia, ingenti clamore tyrannum
Increpitans; mediaque ferox conſiſtit arenâ.
Sed non contrà animis & pectore fractus Alaſtor
Ferre gradum, non ora poteſt infeſta tueri.
Haudque aliter trepidat, quàm ſola in valle leonem
Paſtor ubi offendit timidus; dum retia damis
Tendit, vel canibus leporem ſectatur anhelum.
Genua labant, tremulis pulſu micat artubus horror.
Quid faciat? quo ſe tanto in diſcrimine vertat?
Hinc metus, inde pudor ſtudia in contraria pectus
Abripiunt. Pudor eſt tumido ſic ore locutum
Cedere, & ad pugnam non reſpondere vocanti.
Sed retrahit pavor, & nimiùm ſibi cognita dextræ
Futilitas, miſerumque animam poſtponere honori.
Spem vultu ſimulat tamen; & quas non habet iras,
Ingenio ſupplet, naturamque adjuvat arte.
Ter mulſit barbam conſueto more minacem,
Terribileſque oculos intorſit lumine fuſco
Multa fremens; ter ſe, nullo prohibente, teneri

a Sic vocabatur Gallicus Hercules, de cujus catenis ex ore pendentibus vide Lucianum.

Indoluit. Cunctos in opem miser advocat astus
Incassum, nec enim Alcides avertitur illis:
Sed pugnæ in studio perstat, nec jam ulla moratur
Fœdera: cunctantemque, & supplice voce rogantem,
Corripit amplexu furiosus Alastora, vique
Quassatum multa, prono super ipse sequutus
Pectore humi sternit, genibusque incumbit; & arctis
Elidens manibus fauces, cum flamine vitam
Eripit. At gelidum, dictu mirabile! corpus
Vertitur in volucrem primùm illo tempore visam.
In rostrum vultus tenuantur: barba rubenti
Mutatur palea: cristæ pro crinibus extant:
Brachia luxuriant plumis, & pectora villis:
Torquis adhuc collo superant vestigia crispæ;
Concreto sed enim livorem è sanguine duxit.
Et quia præcluso vox est elisa meatu,
Non nisi singultus tremulos è faucibus edit.
Haud tamen ille suos mores cum corpore vertit:
Quoque vir intumuit, spectatur in alite fastus.





CICURES LUSCINIÆ tota hyeme cantantes AD V. C. LUDOVICUM PETITUM POETAM EXIMIUM.

SIRENES nemorum, pennatæ gloria gentis,
Dicite, Lusciniæ, quæ cantûs tanta voluptas,
Dum bacchatur hyems, & terras frigore vexat!
Ecce omnis raptos arbor nunc luget honores:
Desertæque suis odiosa silentia silvæ
Hospitibus servant. Languent merulæque, parique,
Et dociles sturni, pictis & acanthides alis:
Et querula solùm testantur voce dolorem.
Dulcibus interea mulcetis cantibus auras,
Et veris mediâ celebratis gaudia brumâ.
Nempe meus Daphnis vos excitat: illius ergo
Rumpitis ante diem blandas in carmina voces:
Natalesque umbras lucorum & frondea tecta
Exosæ, cultis agitatis in ædibus ævum:
Scilicet ut mores domini referatis amœnos:
Illius & miti ingenio vestigia ruris
Cedant, & quicquid superest feritatis avitæ.
Dum loquor, ecce fremunt caveis jam classica totis,

Et roſtro argutos ſonitus imitante tubarum
In conſueta vocant ſe prælia. Martius omnes
Incendit canor, & ſopitum exſuſcitat ignem.
Principio levibus prætentant guttura muſis,
Garrituque rudi. Qualis cùm pollice nervos
Explorat fidicen, confuſaque murmura miſcet,
Præludens. Tota mox adnituntur opum vi:
Et quos quamque uſu docuit natura magiſtro,
Ore referre modos properant. Amor adjuvat artem,
Dulcis amor laudum, & vincendi pulcra cupido.
Atque hæc triſtitiam ſimulans, cum murmure anhelo
Ah! fontes dolet amiſſos, & ruris opaci
Teſtatur deſiderium: ſuſpiria denſa
Vocem intercludunt, & languiduli ſingultus.
Mærentis queſtus tamen eſt audire voluptas,
Et venit à ficto major quoque gratia luctu.
Lætior hæc caſtum Zephyris enarrat amorem;
Incluſaſque ſinu flammas, & amabile vulnus
Detegit, impatiens animi. Diſcrimina vocum
Mille adhibet, totidemque modos. Nunc ſponte volutum
Faucibus ire ſinens carmen; nunc gutture rauco
Infuſcans; nunc arguto raptim evibrat ore,
Conciditque frequens animam, mollitque tremendo.
Interea ſocias pudor urit & æmula virtus.
Succenſent aliæ, & convitia mutua dicunt
In numerum, jactantque minas: it pectore creber
Sibilus, atque aurem ſtridore laceſſit acuto.
At quarum civilior eſt diſcordia, gaudent
Inter ſe miſcere jocos, blandaſque viciſſim
Dicere delicias. Ceu quondam in valle reducta,
Montibus aut curvis laſciva jocatur imago,
Offenſam geminans vocem, miratur arator

Inſcius, & credit Nymphas audire loquentes.
Garrula non aliter pubes rixatur amicè.
Succedunt, præeuntque, & jam cantata retractant
Carmina: perque vices alias imitantur, & iiſdem
Inſiſtunt numeris ſtudio certante; fugaſque
Intexunt, varioſque orbes, alterna premendo
Per veſtigia ſe: donec jam ſpiritus illas
Deficiat, medio & cantu fruſtretur hiantes.
Fortunata cohors, non vos de plebe volantum
Obſcurum cepit genus, aut mortalis origo,
Indecores. Sed ſi Samii commenta magiſtri
Vera canunt, manes tumulis remeare ſepultos:
His magnorum animas membris inoleſcere Vatum
Crediderim, poſt fata iterum ſub lumina miſſas;
Muſæumque, Linumque, recepta & conjuge lætum
Orphea, quique olim motis ad carmina ſaxis
Arte nova muros urbi circumdedit, & qui
Delphinas fidibus potuit frænare canoris,
Atque alios priſca inſignes quos extulit ætas.
Ergo agite, officio dominum recreare fideli,
O blandæ, procul & triſtes avertite curas.
Nam meruit. Non illo alius per tempora brumæ
Infeſtas vobis hyemes & frigora flammis
Diſpulit, aut meliùs venientem molliet æſtum.
Ille etiam dulces eſcas & pabula nota
Sæpe manu tulit, & largos ſitientibus imbres.
Nec vos ullus amor nidorum, aut prolis alendæ
Sollicitat caſtas, importunique hymenæi.
Nec jam ullus terret medicato vimine paſtor,
Aut ſerpens rictu, prædatorve unguibus ales.
Otia ſed vobis clemens immunia præſtat,
Carminis & ſolum officium pro munere poſcit:
Obſequium felix, & libertatis amori
Anteferendus honos, tali ſervire magiſtro.





PSITTACUS

AD

V. C. ANNAM

BIARDUM

INCARVILLÆUM.


TU quoque carminibus quondam celebrabere noſtris,
Eoæ viridis regnator, Pſittace, ſilvæ:
Quo doctæ gaudent volucres didiciſſe magiſtro,
Arguto humanas imitari gutture voces.
Unde tuæ tamen ordiri præconia laudis
Incipiam? nam dicta aliis jam Vatibus, auro
Circum colla nitens, minioque interlita torquis;
Plumaque nativo ſuperans fulgore lapillos;
Et mille ad Solem quæ ſparſa coloribus Irin
Cauda refert; coccoque rubentis gloria roſtri;
Blanditiæque, jocique, & herilibus oſcula labris
Sueta dari, & ſævæ in fures convitia linguæ
Hæc, & plura, quibus juſto te, Pſittace, tollis
Inter aves faſtu, priſci cecinere Poëtæ:
Nos verſam effigiem, mutataque membra canemus.
Parnaſſi ſacras furtim penetraverat arces
De levium populo lepidiſſimus unus Amorum.
Nam ſorte Idalii naſcuntur diſpare fratres.
Hos Cytherea parens divino ſemine leti
Procreat immunes: aſt illi humana ſequuntur
Fata

Fata nothi, patrioque trahunt à sanguine labem.
Haud tamen hic gressu pueris cælestibus ibat
Inferior: par oris erat, frontisque venustas;
Idem oculis ardor. Non flavis gratia cirris,
Non brevibus deerat formosa superbia pennis.
Nec minùs ille etiam jaculis metuendus & arcu,
Nec rudis ardenti juvenes incessere tæda,
Si libuisset, erat. Sedenim violentia menti
Nulla fuit: ludi, nugarumque una voluptas.
Gaudebat petulante sales aspergere lingua,
Et grata innocuis incendere prælia dictis.
Ergo ubi se lucis frondentibus intulit audax,
Nunc vitreos propter fontes lascivus oberrat;
Nunc super areolas, & odoriferos pulvillos,
Radit iter liquidum suspensis lubricus alis.
Nunc manibus totos horti populatur honores
Præteriens, sertisque comas innectere gestit.
Sæpe etiam medio libratus in aëre, lauri
Vel ramo insistens, flores jaculatur; & ipsas,
Aut violæ, aut croceo calthæ petit imbre sorores;
Inque caput nimbos, inque ora effundit olentes
Insultans, factisque jocos scurrilibus addit.
Non tulit ulteriùs puerum regina procacem
Calliope, meritisque pares imponere pœnas
Cogitat. Ecqua autem speret ratione fugacem
Prendere? Fidentemne etiam pernicibus alis
Captabit? Notos igitur se vertit ad astus,
Et volucrem aucupio, qua debuit arte, fefellit.
Fortè fuit curva auratus testudine carcer,
Quem distincta ostro virgarum argentea circùm
Claudebat series: fulgent capita alta pyropis
Nexilibus; virides prætexunt infima gemmæ.
a Hoc quondam abdiderant victas certamine Picas,
Servabantque sui monimentum insigne triumphi

a Ovid. l. 6. Metamorph.

Aonides. Ergo hunc mediis componit in hortis,
Ambiguasque fores, & fallax cardine limen
Occulto insidians filo suspendit. At intus
Calliope flores & poma reponit, Amori
Incauto illecebras. Quæ summa ut ab arbore vidit,
Advolat in prædam, caveæque irrumpit apertæ:
Demens, qui luctusque suos, quodque ipse parabat
Exitium sibi, nesciret! Nam pensile limen
Labitur extemplo, & nulla reserabilis arte
Cardo viam obstruxit. Gemuit Cythereïa proles,
Proque suis serò nimiùm sese increpat ausis.
Nec minùs interea, si quâ vi claustra revellat,
Nititur. Explorat clathros, & virgea multâ
Septa manu quassans, morsuque & dentibus urget
Nequicquam. Simul hinc magnis clamoribus adsunt
Pierides, gaudentque vicissim illudere, & iras
Extimulant dictis, & amaræ verbere linguæ.
Ille truci contrà obtutu respondet, & acres
Plus oculis quàm voce minas, ni vincla resolvant
Protinus, intentat. Sed scilicet irrita Divæ
Verba parum curant: ipsaque in clade ferocem,
Proque prece & lacrimis, arcus & tela parantem,
Aversæ meritò captivum in carcere linquunt.
At puer infelix, quando jam exire facultas
Nulla super, questusque diu jactarat inanes,
Nil responsuræ nomen genitricis opemque
Implorans, statuit crudelem abrumpere vitam.
Utque humeris habilem pharetram de more gerebat,
Telum immite manu (tanta impatientia probri est!)
Heu! telum non hos fabricatum promit in usus.
Ferrumque obvertens nil tale merentia contra
Pectora: Tu certè vinclis & carcere fœdo
Eripies, inquit, meque in mea jura repones:
Nec longum illudi capto patieris Amori.

Has inter voces letali saucius ictu
Labitur, inque suo moriens se sanguine versat.
Quem simul ac vidit, (namque hauserat illa furentis
Clamorem extremum) casu illacrimavit acerbo
Calliope : pectusque manu percussa decorum,
Ungue genas secat, & flavos mæstissima crines,
Inferias puero, superinjicit, atque ita fatur.
Non ego te, testis Dea mater, & ipse loquenti
Frater Amor, tantum sperabam haurire dolorem,
Ut velles telo crudele arcessere funus.
Da veniam, ô si quis sensus post fata remansit,
Errorisque animum memorem ne perfer ad umbras.
Dum queritur, corpus visum est exangue moveri :
Sive fuit lacrimis ea vis, sive oscula crebra
Instaurare animam membris potuere fovendo.
Nec mora, pro puero volucri novus emicat alis
Psittacus : inque Deæ gremium mirantis, & ora
Insiliens, blanda solatur voce; manumque,
Et tenero in pignus pacis petit oscula rostro.
Ille quidem nollet cavea breviore teneri :
Non tamen hanc odit; nam priscum morte furorem
Deposuit. Sed par studium, par lusus, & idem
Garrulitatis amor mutato corpore restat.




HOROLOGIUM
AD
V. C. ÆGIDIUM
MENAGIUM.

MORTALISNE etiam felix audacia dextræ
Æternas ſimulare domos, & legibus æquis
Sidera conſtantem cælo modulantia curſum
Aggreditur, Divûmque operi certare laborat?
Ecce brevis moles totum comprendit Olympum:
Æmula naturæ moles, quâ prædita tellus
Nil jam Solis eget: neque Lunæ conſulit ignes,
Ipſa ſuum ſibi tempus habens. Namque alite curru
Quot terram circum volitans Sol conficit orbes,
Tot gyro breviore imitatrix machina ducit:
Metiturque viæ ſpatium, & diſcrimina ſignat
Ortuſque, occaſuſque; aut mundi vertice ſummo
Cùm ſtetit, & radiis fugientes contrahit umbras.
Nec ceſſare licet, ſuaque in veſtigia ductos
Flectere jam retro greſſus; quin improba voce
Segnitiem incuſet crebrâ, tardoſque jugales:
Seu cælo dicat leges, atque imperet aſtris.
Sed quis multiplices ſperet deſcribere motus,
Aut tam magna ſequi miracula poſſe canendo?
Ecce rudis plumbi, contorta è cannabe, maſſa
Cardine ſubjecto pendet: vis inſita deorſum
Quam trahit, & ſenſim nativo prægravis urget
Impete. Eam contra leviori corpore pondus

Funis ad extremum nodo religatur. at illud
Ætherias tantùm se fert sublime sub auras,
Massa suo quantùm descendit plumbea nutu.
Hinc series motûs, & inenarrabilis ordo
Ducitur: hinc totos aptè diffusa per artus
Vis agitat molem, & certo cum fœdere torquet.
Trochlea nam spiris circùm labentibus acta,
Tardior ipsa licèt, vicinum concitat orbem:
Atque hic alterius, conserto dente, vicissim
Urget agens gressus, secumque impellit eundo.
Ergo ambo rapidus curvo ferat agmine vertex;
Alterno ni libra moras versatilis unco
Injiciat, pressisque fugam moderetur habenis:
Ipsa autem justo tempus discrimine pensat
Interea; secumque putat, quos lubrica fines
Accipiant momenta, quadranti quis modus arcto,
Quantum labentes spatium determinet horas.
Cumque pererrato jam limite signa ruendi
Certa dedit, frænoque rotas cohibente minores,
Admonuit pulso, versis fragor axibus ingens
Exoritur. Velut æstivam cùm Juppiter olim
Increpuit nubem; vel cùm victricibus undis
Oppositas rupere sonantia flumina moles.
Effugiunt orbes, indignatique teneri
Præcipitant, quà quemque suus vocat impetus, & quà
Vis plumbi gravior jubet inclinare sequentes.
Nec mora, turrita respondet ahenus ab arce
Excubitor; ferroque sonum pulsante per auras
Ingeminat toties, tabulâ quot in indice tangit
Virga notas, numerumque horarum cantibus æquat.
Hactenus informes orsus, & nobilis artis
Pingue rudimentum. Nam posthac doctior ætas
Expoliit, cultuque novos adjecit honores.
Nunc picturato labentia sidera mundo
Artificem justis deducere motibus annum

Suſpicies, Phœbique imitantem lumina flammam
Obliquum per iter bis'ex percurrere ſigna;
Errantemque globum Lunæ, parvoſque Planetas,
Alternis dociles modulari luſtra choreis.
Nunc fictas acies mirabere, ſævaque in armis
Agmina præbere inſontis ſpectacula belli.
Stat campo tacitus miles, vireſque videtur
Colligere ipſe ſuas, donec vi concitus axis
Signa dedit. Fremuere tubæ, & cava tympana pulſu
Horrifico, ſtringunt enſes, & tela coruſcant
Miſti equites peditesque: idem omnibus incidit ardor,
Alternoſque ferunt ictus, & mutua denſant
Vulnera: mox facta concordes pace quieſcunt.
Sæpe etiam heu! triſtis ſuſpenſus imagine pompæ
Integros memini ſpectando ducere ſoles.
Saturnus, ſimilis leges & jura ferenti,
Fronte oculiſque minax ſolio conſederat alto.
Sub pedibus rigidæ fatalia penſa ſorores
Carpebant. Mors ipſa aderat, cui falce gravatur
Dextera terribili, librataque pendet in ictum:
Eque viris, fallax quos lactat vita futuri
Immemores, nunc hos oculis, nunc deſtinat illos.
Supremæ interea miſeris Deus arbiter horæ
Metiri momenta, & inevitabile punctum
Ære videbatur pulſato indicere. at illa
Protinus in medios, quà copia facta ruebat,
Monſtratumque caput telo excutiebat acuto.
Voſne hoſtes ſomni dicam, queis cura quietem
Rumpere tinnitu, & lucis revocare labores?
An vos, quæ dominis cælata in pyxide clauſæ
Gemmantes horas, pretioſaque tempora in auro
Volvitis affixæ lateri noctuque diuque,
Excubiæ vigiles? Nec tu incelebratus abibis
Carminibus noſtris, memori digniſſime fama
Annule: quem digitis Cæſar regalibus aptum

Scilicet, ingenioque parem, gestare solebat
b Carolus. Ille brevi pala, mirabile visu!
Currentesque rotas, implexosque orbibus orbes,
Ponderaque, & justo suspensam examine libram,
Indice cumque suo vocalia ceperat æra.
I nunc, & tenues mirari perge quadrigas,
Græcia, quamque suis navem musca obtegat alis.
Archytæ jacta ludos, fictamque volucrem
Cærula mendaci tranantem nubila penna:
Quæque Syracosii solers industria fabri,
Naturæque manus victrix miracula finxit,
Plus quiddam est cælum potuisse includere gemmâ.
Nunc ego te, ô præses, degendæque arbitra vitæ
Machina *c*; sub rigido si te spirare metallo
Non frustra perhibent, sed habet vis dædala mentem:
Unum oro, & dulci Vates pro carmine posco.
Parce meo feralem horam properare Menalcæ.
Sed potiùs relegens tua per vestigia cursum,
Fata redordiri, primæque reducere florem,
Quantum fata Deusque sinent, molire juventæ.
Ceu quondam magna populi spectante caterva,
Per denos sublapsa gradus retro umbra cucurrit;
Ezechiæque suos ævum revocavit in ortus.



HELIOTROPIUM.

ILLUSTRES animæ, quas pulcræ gloria sortis
Induit in florem, & pictis decus addidit hortis;
Sidera camporum, terræque parentis amores,
Cedite; formosumque omnes agnoscite pronis
Verticibus regem, parvoque assurgite Soli.

b Carolus V. Imperator.
c Sinæ machinam viventem appellant.

Omnia Solis habet, nomenque, orbemque, coloremque,
Ardentesque auro radios, ignemque serenum
Crinis, & innocua fulgentem luce coronam.
Indidit & motum solers Natura; suumque
Esse dedit terris, visu mirabile! Solem;
Constanti qui lege dies metitur & umbras,
Attonitoque novum deducit tempus Olympo.
Quin & sensus inest flori, occultisque movetur
Illecebris; pulcrosque fovet sub cortice duro,
Quos radiis Sol ipse suis exsuscitat, ignes.
Ergo ubi purpureo reduces oriente quadrigas,
Auratumque videt dilecti sideris orbem;
Ilicet haud dubiis prodit sua gaudia signis.
Quemque modo exangui moriturum stirpe putares,
Nunc caput attollit nitidum, calycisque reclusas
Pandit opes, fulvumque comæ diadema superbæ
Explicat, & cupidè tendit formosus haberi.
Mox ànimas efflat molles, pretiosaque amanti
Nubila; particulasque leves de corpore libat,
Ire omnis cupiens, ni votis gleba repugnet,
Innectatque moras. Sed, quod licet, aspicit illum,
Pallidulóque suos vultu testatur amores:
Est pro voce color. Nec amati gratia Solis
Nulla refertur. Et is parili quoque carpitur æstu,
Et flammis calet ipse suis, gaudetque tueri
Quos pinxit radios, seque admiratur in illis.
Ast ubi nulla datur spectandi copia floris,
Et cæco obtutus dirimit nox invida velo;
Ille moræ impatiens, (quid non amor improbus audet?)
Permeat obstantes nebulas, radiumque fidelem
Mittit ad absentem, notis impressa figuris
Qui sua verba ferat, multam exoptetque salutem,
Admoneatque sui, responsaque certa reportet.
Ipse autem quamquam præmisso interprete gaudet,

Ni caro tamen aspectu, totaque potiri
Luce datur, lenta paulatim tabe fatiscit.
Demittit caput, & post aurea lumina Solis,
Dedignantem oculum quicquam spectare, tenebris
Devovet æternis; nimioque oppressus amore,
Efficit ipse suo sibi dives caule sepulcrum.



URANIE
SEU
THEOLOGIÆ
DESIDERIUM.

LYCIDAS. ÆGON.

FORMOSI Lycidas custos gregis, & bonus Ægon,
Ægon ipse suis malas villosior agnis,
Noto constiterant in gramine, quà fugit aspris
Cautibus elapsus liquido pede dives aquæ fons.
Dumque omnis luxu grex solvitur, & loca latè
Concava lascivis resonant balatibus, ipsi
Stant tristes, lacrimisque humectant ora magistri
Grandibus. Alterno nec enim contendere versu
Ut quondam juvat, & tenues inflare cicutas.
Ah! nimius miseros angit dolor: impius ex quo
Nuncius attonitas fando pervenit ad aures.
Et siluere tamen, dum vinci dura ferendo
Nequicquam posse sperant mala. Verùm ubi nullam
Accipiunt legem, & tectus magis æstuat ignis;
Tum gemitu laxant iter, indulgentque querelis.

Has venti, & querulo retulerunt murmure lymphæ;
Mæstaque respondit curvis è vallibus Echo.
Lycidas. Pan nemorum custos, & capripedes Satyrisci,
Et Dryadum chorus, & Pastorum numina Nymphæ,
Accipite hæc, memorique animo mea figite dicta.
Si vos à teneris colui puer, & pede casto
Vestras sæpe domos adii: si nocte serena
Dum silet omne genus pecudum, genus omne volantum,
Per juga cantando, per frondentes labyrinthos,
Sum vestigia nota alacer gressusque sequutus;
Et plausus audii salientum, & verba notavi:
Quid prodest, quando Uranie me denique temnit?
Graminei colles, & saxa virentia musco,
Antraque, nativoque arquatæ pumice cryptæ,
Vos testor læta implicitis umbracula ramis,
Ut mihi cura animum depascitur. O ubi soles!
Credo equidem niveis soles tunc isse quadrigis:
Cùm Lycidas studiis juvenilibus iret opacas
Per valles gracili Uranien meditatus avena.
Uranien silvæ, Uranien cava saxa sonabant.
Ipsæ etiam pinus, ipsæ alta cacumina fagi,
Uraniæ ad nomen, Zephyro plaudente, movebant.
Nunc verò lugent pinus; nunc languida fagi
Dejiciunt mærore cacumina: nec nisi planctus
Devexæ referunt valles, collesque supini.
Et meritò, quando Uranie me denique temnit.
O quoties molli sub gramine fontis ad oram,
Dum crispæ tremulis vibrantur flatibus undæ,
Hæc memini dixisse jocantibus! Ite, Favonî:
Sic vos Chloris amans sertis fragrantibus alas
Innectat, roseoque capillos perpluat imbre;
Ferte illi, supplex Lycidas rogo, ferte salutem,
Et desideria, & mæsti suspiria cordis,
Questusque, & lacrimas, & adhuc improspera vota.

Dicebam ventis. Retulerunt omnia venti:
Sed frustra, quando Uranie me denique temnit.
Huc ades, ô Philomela: tuos nam sæpe dolores
Flens ipse audivi memorantem; & sæpe vicissim
Ore favens, nostros studuisti audire labores.
Si tibi dulce meum quicquam fuit, ocius alis
Cæruleum per iter delabere, quà nemus ingens
Hospitibus Musis felices educat umbras.
Hîc illam invenies: hîc me sua vincula primum
Implicitum tenuere; & vincula ferre juvabat.
Sic dices, Philomela: O docti gloria cœtus,
Misit me Lycidas; an adhuc tuus? Et tamen olim
Ni falsò sibi plaudit, amabas hunc quoque, Diva:
Plurima namque aliis occulta aperire solebas.
Et cùm triste vale ferret, complexa sereno
Mulsisti vultu lacrimantem, & dura querentem
Dissidia; & reditus spe solabere futuri.
Interea fruges jam septima demetit æstas,
Promissi nec spes reditus tamen ulla refulget.
Quòd si etiam durant fastidia, protinus atro
Indignantem animam præcludi funere cernes:
Inque meo leti tumulo celebraberis auctor,
Causaque: nam hoc tumuli scribetur marmore carmen.
URANIE LYCIDAM NIMIÙM ASPERNATA PEREMIT.
Hæc Lycidas: mistis sic fletibus excipit Ægon.
Ægon. Mutantur pratis sua gramina, fontibus undæ,
Arboribus fœtus. Nec Damon semper easdem
Cogit in arva boves, nec eosdem Tityrus hœdos,
Omnia cùm mutent, cur non & tædia muto?
At vidi cytiso satiari sæpe capellas,
Et lauri baccis merulas, & nectare fucos.
Nam si apis usque thymo vescatur, rore cicada;
Nec thymo apem vesci libeat, nec rore cicadam.
Dulce humor violis, & adultis frugibus æstas,

Sed neque perpetuis gaudent violaria rivis:
Sole nec assiduo placet arida frugibus æstas.
At mihi non ullis fas est odiosa levare
Interdum vicibus fastidia: protinus idem
Urgetur misero labor, & redit actus in orbem.
Jam quater in silvis pastori fraga leguntur,
Et toties grato cerasus se pondere curvat;
Ex quo istos colles & pascua nota frequento
Obdurans. Nec tam lepori sua cognita sepes,
Nec tam præpetibus frondosa cubilia cervis,
Quàm mihi sunt notæ Carthaginis, Ilii & arces,
Ideque, Xanthusque, & pulcro flumine Tybris.
Cantavi toties, quo flebilis Orpheus antro,
Ah! miseram Eurydicen, infelicesque hymenæos
Lugeret; quaque amissas reparaverit arte
Pastor apes. Fauces vox deficit ipsa. Capellæ
Me quoque jam fugiunt, repetiti dum piget illas
Carminis; atque greges alios, alia arva sequuntur.
Ite, nec invideo felix pecus, ite capellæ.
Tityrus, aut aliquis Divûm de gente Menalcas
Per juga dein meliora, & gramineas convalles
Vos aget, atque novis recreabit cantibus aures.
Tantùm, ne nimiùm placeat sibi; neu malè nostris
Indutus spoliis, victo velut hoste, triumphet.
Vidi ego dum proprias miratur Silvius uvas,
Tollere se fastu ante alios; dein turbine iniquo
Grandinis æstivæ populatas ingemere uvas.
Vidi ego dum lætis Damon se jactat aristis,
Vicinas segetes contemnere; dein Jove duro,
Pleiadis aut casu disjectas conqueri aristas.
Et tu Tityre flave, & tu formose Menalca;
Tityre vane animi, Divûm de gente Menalca,
Fors olim amissos deserto in litore honores
Flebitis, aspicietque altis de montibus Ægon:
Aspiciet, vestro & luctu lætabitur Ægon;
Quando illum indigna sprevistis forte jacentem.

Hæc pueri inter se jactabant. Flentibus illis
Juppiter intonuit cæli de parte sinistra,
Et paulum luctus tali omine mulsit acerbos.

DAPHNIS

Ad V. Cl. JOANNEM DE VIENNE, Abbatem Sancti Martini apud Nivernum.

THYRSIS. IOLAS.

THYRSIS Sequanides, & Phœbi cultor Iolas,
Ambo concordes animis, sine litibus ambo
Rivales, ibant soli per devia rura
Obliti sociorum. Urebat Daphnidis illos
Namque amor assueto violentiùs. Unus in ore
Daphnis erat, unum spirabant pectora Daphnin.
In primis cura hæc puerum mordebat Iolam,
Num placeant illi sua carmina. Nam neque tantùm
Fama juvat, neque laus, quantū tua gratia, Daphni:
Hæc viridi potiorque hedera, & Permesside lauru,
Queisque alii gaudent præcingere tempora sertis.
Devenere, fugax trepido quà Niveris amne
Inter populeasque umbras, alnosque comantes
Murmurat, & Soles undis defendit iniquos.
Tum sic unanimem Thyrsin compellat Iolas.
Iol. Cur non, Thyrsi, pari quoniam succendimur igne,
Inque vicem nostros fidi conscimus amores,
Cantamus Daphnin? mulcentur carmine curæ,
Atque sitis rivis, & opacis frondibus æstas.

Thyrs. An mihi sit quicquam jucundius ? aspice, flumen
Daphnidis audito murmur compressit aquarum
Nomine : nec jam ullæ strident per prata cicadæ,
Nec jam ulla alludit calamis fluitantibus aura.
Daphnis abest : cantus nostros tamen audiet absens,
Audiet, ipse suo gratusque favebit honori.
Iol. Incipe, quandoquidem hîc mollis substernitur herba,
Alnus & implexis præbens umbracula ramis
Desuper incumbit, lambunt vestigia lymphæ.
Incipe, Thyrsi, meos referam dein ordine versus.
Thyrs. Nymphæ Niverides, qui vos tunc squalor habebat!
Cùm Daphnis procul hinc ageret diversus ab oris
a Ignoti Vidulæ prope flumina. Nam neque campis
Cultus erat, nec honor pratis, nec gratia silvis.
Flores quin etiam rubigo insederat ipsos,
Et passim hirsutis horrebant vepribus horti.
Ut venit, ut tenet hæc Daphnis loca ; protinus agris
Mutatur facies : horror suus excidit hortis,
Redditus atque honor est pratis, & gratia silvis.
Daphni, tuum rupes etiam sensisse feruntur
Adventum, & duri crevisse in tecta molares
Sponte sua. Ipsa etiam tilias licèt arida tellus
Protulit, & virides suspendit in aëre cryptas.
Daphnis & arboribus brumas defendere tristes
Instituit ; Daphnis prohibere à floribus Austrum.
Ille etiam gratos spinis induxit odores,
Ille etiam rhamno pretiumque & nomina fecit.
Fortunate Senex ! hîc inter florea regna
Et saltus lætos mollis tibi ducitur ætas.
Et nunc propter humum nascentia carpere fraga
Gaudes, nunc cerasi rubros legis arbore fœtus;

a La Vesle fluvius Remos alluens.

Quæ mittas calathis ad amicos munera plenis.
Ah ! ne cæruleus per gramina repſerit anguis,
Innocuaſque dapes triſti corruperit aura !
Ah ! ne nectareum libaverit ore cruorem
Eruca, & virus cum morſu afflaverit atrum.
Fortunate Senex ! tibi ſilvis ecce relictis
Nocte dieque refert ſua carmina dulcis aëdon.
Te merulæ læto garritu ſponte ſalutant,
Te rauca celebrant formoſæ voce columbæ.
Omnia, Daphni, tuum tangit decus, omnia honori
Certatim famulantur : amant namque omnia Daphnin.
Dum pinus montes, dum flumina myrtus amabit,
Pulcra umbras laurus, ſoles cypariſſus apricos;
Niveris ad ripam celebrabere. Nec tibi Lethes
Pocula ſunt metuenda. Premat licèt omnia Lethe,
Daphni, tuum nomen fama immortalis habebit.
Iol. Dulce mihi murmur fugitivæ in vallibus undæ,
Dulce avium plauſus, & amabilis aura Favonî,
Undantes tremulo dum flamine criſpat ariſtas.
Sed neque lympha juvat me tantùm garrula, plauſus
Nec volucrum, molli nec criſpæ flamine ariſtæ;
Quantum, Thyrſi, tuo deductum pectore carmen.
Thyrſ. Jam deſueta diu mihi fiſtula. Vox quoque Thyrſin
Conatu ſæpe in medio fruſtratur hiantem,
Quamquam ipſum memini Pana æquiparare canendo.
Omnia tempus habent, verſus quoque. Tetrica poſtquam
Nos habuit Sophie, Muſa averſata reliquit.
Sed tu parce, puer, cauſando ducere tempus.
Iol. Daphnin ad aſtra feramus : amat vos veſtraque Daphnis
Munera, paſtores : illi quoque fiſtula curæ.
Daphnis & ipſe boves Arduenna pavit in alta,

Orta cùm silvis & pax tranquilla manebat:
Nec miles pecori exitium, nec vincla magistris
Ulla minabatur. Non illo tempore quisquam
Aut melior turbare lupos, aut fallere vulpes:
Nec melior quisquam graciles inflare cicutas,
Aut versus calamis componere. Vos ego, Musæ,
Testor, quæ toties illum vidistis agentem
Faunorum, Dryadumque choros sub montibus altis.
Nunc etiam, quamvis nive tempora texerit ætas,
Non oblita seni juvenilia. Sæpe ego Daphnin
Æstivos vidi cantando condere soles.
Nec Damon alio fertur didicisse magistro:
Damon qui potuit mollitas sub juga tigres
Mittere, & ad numerum salientes ducere tauros:
Damon qui dubiam fecit tibi, Mantua, palmam.
Me quoque jam Vatem, si non & fallere tendunt,
Pastores perhibent, ex quo illum visere cœpi.
Quamvis Pirenes, atque Aoniæ Aganippes,
Transierint longè mihi pocula: nec juga Pindi,
Nec fontes sacros recluserit augur Apollo.
Pro mihi Pirene, pro fatidica Aganippe,
Daphnidis unus amor mentem impulit. Ille medullis
Cælestem accendit Phœbo præsentior ignem.
Sed quid, Daphni, tuo sit jam insuperabile amori,
Si valuit sævos moderari pectoris æstus,
Et præbere animo solatia? si mihi pulcræ
Uranies desiderium, & spes tempore sero
Dilatas lenire, modumque adhibere dolori?
Te sine, blande Senex, mihi funere tristior ipso
Vita fuit ducenda: carerent lumine soles,
Et saltus umbris, liquidis & flumina lymphis,
Hibernoque gelu squaleret odoriferum ver.
Te sine jam nullus terris superaret Iolas.
Ut vitis Baccho decori est, ut Palladi oliva,
Populus Alcidæ, pulcro sua laurea Phœbo,
Tu decus omne mihi. Nec tantùm gramine vaccæ,

Nec thymo apes gaudent, tenera nec fronde capellæ;
Quantùm, Daphni, tuo aſpectu lætatur Iolas.
Ergo Liger Tiberi miſcebitur, Elaver Iſtro,
Et Rhodanus Tameſi, & flaventi Sequana Ibero,
Antè tuæ quàm me capiant oblivia laudis.
Seu face purpurea terras incendet Eous,
Seu tenebras referet nox humida; nil niſi Daphnin
Cantabo. Daphnin ſilvæ & cava ſaxa ſonabunt,
Æmula per valles Daphnin modulabitur Echo:
Æternúmque ſuis inſcriptæ nomina fagi
Corticibus, Daphnin noſtroſque loquentur amores.
Thyrſ. Non tibi fruſtra ignis præcordia tantus adurit.
Nam Daphnis gemitus, cùm tu diſcedere velles,
Et lacrimas fudit, teque amplexatus euntem,
Hic mecum dilecte mane, mane, inquit, Iola.
Sed jam ſerus oves ſub tecta reducere Veſper
Admonet: inceptum cras perficiemus honorem.

AD EUMDEM

De Hiſtoria Militarium Viarum à Nicolao Bergerio ſcripta.

DUM volucri pennâ Latiarum ſtrata viarum
Paſtor, obit, captique refert miracula mundi,
Ipſe ſibi arte viam mira munivit Olympo:
Et paribus ſcriptis Romanum æquavit honorem.
Obſtupui viſu; & quamquam ſpes maxima dictis
Facta, Vienna, tuis fuerat: mens conſcia veri
Invenit majora tamen, promiſſaque rebus
Victa ſuis ultro agnoſcit, gaudetque fateri.
Quid dicam, unde novæ ſurgent exordia laudis?
Ten' memorem egregius Cæci labor, Appia, Claudî;

Appia Romulidum quondam regina viarum?
Vel quæ Flaminii te jactas nomine; vel quæ
Æmilii servas æterno in marmore famam;
Atque alias, quas dum terram victricibus armis
Æneadæ lustrant, decorum monumenta suorum
Extruxere opere immenso, nec dispare sumtu,
Cui vix tot census, tot vectigalia latè
Regnantis populi, & mundum ditione tenentis,
Sufficerent. Quoties audacibus invida cœptis
Objecit natura moras; quotiesque labore
Indoluit victum numen, legesque recepit!
Depressi montes, æquataque culmina campis,
Aggeribus valles obductæ & molibus altis,
Ac jussi substare lacus, perque invia ductum
Flumina iter, medioque diremtus limite Nereus,
Ad frænum docilis captivos volvere fluctus.
Sæpe etiam excisæ rupes, pertusaque saxa
Fornicibus longis, perque intima trames apertus,
Viscera petrarum, & cæci penetralia Ditis.
Huc adde egregias cultu, spoliisque superbas
Pyramidas populorum, auctosque insignibus arcus,
Balneaque, & thermas, &, vulgi gaudia, circos,
Et vota in medio belli discrimine templa.
Hæc & plura suo spectanda volumine Pastor
Exhibuit, nullis antè intellecta priorum.
Et quamquam tritos Latii describere calles
Aggressus, tamen astra novo sibi limite pandit.

SOL ORIENS.

Sol effert rutilum cælo caput; atque sereno
Aspiciens terras vultu, mortalibus ægris
Optatæ reddit lucis cum munere vitam.

Illum omnis merito venientem gaudet honore
Præverti natura. Feræ, pictæque volucres
Motibus, & læta, quà fas est, voce salutant.
Ipsæ etiam fagi, ipsæ etiam sentire videntur
Sideris exortum dura sub cortice pinus:
Ad numerosque movent frondes, & murmure rauco
Gaudia testantur. Nec dispar floribus ardor
Incessit. Gratos properant diffundere odores
Certatim, puris adolentque vaporibus auras,
Inque sua dominum venerantur imagine Numen.
Salve, orbis decus, & cæli pulcherrima lampas,
Astrorum dux atque pater, quoque omnia cernunt,
Mundi oculus. Tu naturæ certissima vita,
Atque animus. Tibi regalem diadema coronat
Auratis frontem radiis. Te flammeus axis
Æterno portat cæli per templa triumpho.
At quocumque pedem felix & lumina torques,
Continuò alma dies oritur, fugit umbra, tenebræ
Sub Styga præcipitant, nigra mergitur oceano nox.
Nec vero flamma Sol deficiente laborat,
Aut tristi dolet obductos caligine currus.
Hæc, Phœbe, hæc quæcumque aliena luce coruscant,
Damna pati metuant Stellæ. Non deficit ignis
Divinus. Cumque in medio se limite condit,
Invidia Lunæ, atque objectu corporis atri,
Creditur amisisse diem; tunc ardet Olympo
Puriùs, & Lunæ tenebras, noctemque remittit.



UNDE TANTA POETICI SPIRITUS CARMINUMQUE VARIETAS.

NEscis, care puer, quantas Aganippidos undæ
Esse potestates Pindi regnator Apollo,
Quàm varios usus voluit. Fons unus in alveos
Scindit se plures : sed non vis omnibus una.
Nam sacer, erumpens variis siphonibus, humor
Ora modis Vatum fingit potantia miris.
Hac Elegos, illa molles de parte Phalæcos
Continuò ire datum. Tragico volvuntur Iambi
Cum sonitu ; Heroï grandes placido agmine currunt ;
Labitur ad numeros modulatis fluctibus Ode.
Ipsa loci facies oculos invitat euntum,
Aspectuque suo mulcet. Consurgit in auras,
Tectorum in medio, geminato vertice rupes
Structa manu : concha, positisque ex arte lapillis
Naturam simulavit opus. Longo ordine circùm
Diversæ effigies stant, & jaculantur aquæ vim
Ritu quæque suo largam. Bicoloribus alis
Fama volans, lauroque caput redimita virenti,
Ære ciet pugnas, regesque hortatur ad arma.
a It lituo longè proruptum flumen. At illo
Mæonii sese properant immergere olores,
Cumque undis numeros & Martia carmina ducunt.
Parte alia auratis graditur regina cothurnis,
Scissa comam, laniata genas. Tum cuspide sæva
Ilia transadigit. Liquor alto vulnere manat
Purpureus ; verusque potest cruor ille videri.
b Hinc Tragici potant, mentesque ad grandia fingunt

a Heroïca Poësis.
b Tragœdia.

Crimina fortunæ cantanda, virûmque labores,
Et magnos rerum fato sub vindice casus.
At Venus in brevibus soccis & simplice amictu,
Sparsaque inornatos crines per eburnea colla,
c Neglecto & cultu formosior, improba gaudet
Jurgia, & insanas juvenum componere lites,
Furtaque, servilesque dolos, vanumque thrasonem.
Subductosque seni loculos, dum stertit, avaro.
Dicta Deæ ac gestus taciti mirantur amores.
Illa levi feriens terram pede, prolicit amnem,
Unde bibunt, queis aut divini fama Menandri,
Aut Libycæ Sirenis honos, præcordia tangit.
d Non procul hinc Satyrum tergo rudentis aselli
Hærentem aspicies. Dependet buxea collo
Fistula, non paribus crescens de more cicutis.
Læva quatit virgam, pigrumque urgere laborat
Quadrupedem. Ridet circùm lasciva juventus,
Atque jocis misero, salibusque insultat amaris.
Ipse autem naso rivum, exertoque molari
Eructat duplicem. Naso qui labitur humor,
Innocuos generat risus dulcesque cachinnos,
Et quæ qui patitur convicia, credit amari.
At quæ dente putri saliens micat unda, colorem
Fellis habet, potu & bilem succendit acerbo.
Proritatque animos, letumque in vulnere linquit.
e Amphion fidibus mulcens delphina canoris
Inde mari vehitur. Glomerant se vitrea circum
Numina Tritones, pendentque canentis ab ore
Attoniti. Patulis geminos de naribus efflat
Interea piscis fontes, pulsatque vicissim
Humenti citharam plectro. Bibit impigra Vatum
Gens latices, & fatidico se proluit haustu:
Tum verò Heroum Superis exæquat honores.

c Comœdia.
d Satyra.
e Lyricum carmen.



DE TRANSFUGIO CORDIS.

Amica ad amicum expostulatio.

ISTA quidem vis est. Quid enim committere tantum
Imprudens in te potui, dilecte Menalca,
Ut mihi cor furto vulsum radicibus imis
Surriperes? hæc Musarum pro munere solvis?
Debueram certè, si mens non læva fuisset,
Præsentire dolos, & quæ me damna manebant:
Cùm primùm vultusque nives, capitisque verendam
Canitiem, & signis qui plurimus extat in illis,
Candorem perspexi animi, moresque serenos,
Et come ingenium, & juvenilem pænè senectam,
Doctrinæque capax pectus, Phœboque sacratum
Et Musis, vegetamque effœto in corpore mentem.
Ex illo namque insidias & dulcia tendens
Vincula, cœpisti cordis, blandissime, fluxam
Sollicitare fidem, nóstroque avertere sensim
Obsequio, atque tuas, me dissimulante, vocare
Sub leges mirâ illecebrâ, ac dulcedine victum.
Ex illo tua perpetuò circumvolat ipsum
Effigies: te nocte vigil, te luce renata
Cogitat, in te uno cura inclinante moratur.
Nec satis hoc illi est, ni tota à sede revulsum
Ad te exire sui pennâ festinet amoris.
Exeat, inque sinu, quam non reperire priori
Sub domino potuit, capiat felice quietem.

Sed ne te lateat natura, novique clientis
Conditio ac mores; paucis adverte, docebo.
Vividus eſt olli flammæ vigor, ignea virtus,
Formaque nativo referens in acumine flammam:
Irrequies motus, tremuloque ſimillimus igni.
Ore vomit flammas, ſunt huic quoque pabula flammæ:
Inſontes flammæ, quas non Venus improba telis
Succendit, fallaxve auri nitor, aut mala vulgi
Gloria; ſed ſincerus amor, generoſaque honeſti
Ambitio, & gaudens luxum neſcire voluptas.
Illos cauſa eadem nutrit, quæ ſuſcitat, ignes.
Atque ubi materiem caſtis ardoribus aptam
Invenere, huic æternis amplexibus hærent,
Conſtantique fide; quam nec longæva vetuſtas,
Annorumque vices, nec toto diſſita mundo
Corpora diſſolvant, nec iniquæ injuria ſortis,
Aut gelidæ noctis frigus, cinereſque ſepulcri,
Feraleſque umbræ, triſtiſque oblivia Lethes.
His tibi cor nexum illecebris, dilecte Menalca,
Nulla ſui ſentire poteſt diſpendia amoris:
Æternæ exiſtent æterno ex fomite flammæ.
Nec tamen una meum commendat gloria pectus,
Quod ſit ab alterius caſtis penetrabile telis:
Urit amore ſui multos quoque, nec genus illos
Indecores, quos hîc longus meminiſſe viritim
Sit labor. Ex uno reliquos, tantum inſtar in uno eſt,
Conjicias. Deus, ipſe Deus, cui flore micantes,
Terra ſinus pingit nequicquam, optatque videri
Illius formoſa oculis: cui ſidera crines
Auratis comunt radiis: quem Luna fatetur
Curarum auctorem grato pallore ſuarum:
Cujus ab igne calet Phœbus: quem cærula Thetis
Ardet habere procum, & votis certantibus ambit
Incaſſum: noſtri jampridem flagrat amore
Pectoris. Huic & delicias, & gaudia cæli,

Gaudia mortales longè exuperantia sensus,
Interdum partitur, & ubere proluit haustu
Alliciens, hacque invitans dulcedine tardum.
Sæpe etiam subiit ingens penetralibus hospes,
Accubuitque sinu parvo, visusque quietem
Ejus in amplexu, & felices quærere somnos.
Aut sacra ipse suos expressit cuspide vultus,
Insertumque notis nomen pretiosus amator
Exsculpsit, tacitisque loquentia signa figuris.
Nec mora, nec modus est: donec cor denique victum
Exæquet curas, casto & respondeat igni.
Gloria, crede mihi, magna est, dilecte Menalca,
Rivalem meruisse Deum: quodque omnibus ipse
Ambiat officiis, ultro te tollere munus.
At quoniam ut Soles geminos, sic bina recusat
Corda pati Natura; tuum donare vicissim
Te decet. Unus enim merces æqualis amori
Est amor, & solo constat bene pectore pectus.
Quàm gratum mihi pignus erit! quæ cura tuendi
Tantum depositum non sollicitabit amantem!
Quos illi cultus & relligionis honores
Non referam, gratus Musis Phœboque sacerdos!
Victima erunt lacrimæ, & dulci suspiria questu
In numerum sociata, & gaudia mista dolori,
Ipse comam lauri redimitus fronde nitentem,
Concipiamque preces & non improspera vota.
Quæ, si nec surdum est, nec duro durius ære,
Audiet, èque sinu nolet discedere nostro.



MUSICI



MUSICI METAMORPHOSIS IN LUSCINIAM

AD V. CL. JOANNEM HAMELIUM

CANONICUM ET ARCHIDIACONUM ROTOMAGENSEM.


HARMONIÆ claro Phœbi de ſemine proles
Unica Luſcinius quondam fuit ; omnia patri
Perſimilis, roſeos vultus, & eburnea colla,
Et flavos crines : vocem de matre ferebat.
Seu pharetram, atque humeris habilem ſuſpenderat arcum :
Phœbum arcu, & ſumpta juraſſes ſtare pharetra.
Seu nervo impulerat volucres ſtridente ſagittas ;
Continuò juſſæ feriebant ſigna ſagittæ.
Non tamen hæc tantum, quamquam hæc quoque jure placebant,
Quantum vox puero placuit ſua. Prima voluptas,
Primus amor vocis, nec erat felicior alter

Et canere, & docto moderari pollice chordas.
Harmonie ſcires illum didiciſſe magiſtrâ.
Quin adeo, ut perhibent, materna lapſus ab alvo,
Impulit in numerum teneris vagitibus auras.
Cumque olim mæſto ſuſpiria corde trahebat,
In numerum gemitus, ſuſpiriaque ægra cadebant.
O quoties cunas circumſtetit agmen Amorum,
Infantis placidam gaudens turbare quietem,
Et dulces iras, & jurgia grata mereri!
O quoties Nymphæ violas & cana tulere
Lilia, textilibuſque onerarunt poma caniſtris;
Blandum avidæ riſum, leneſque movere cachinnos!
Hinc ubi florentes adoleſcere cœpit in annos,
Et voci vires, & naturæ addidit artem:
Tum Phœbo invidiam fecit, potuitque videri,
Judicibus Muſis, Phœbum ſuperare canendo.
Vos, ô aërii montes, vos conſcia teſtor
Flumina, & umbroſo nutantes vertice ſilvæ;
Carminibus nam ſæpe ſuis parere coëgit
Luſcinius, juſſitque alio migrare volentes:
An lyra Threïcii fuit imperioſior Orphei?
Illo Naïades, illo pſallente Napææ
Continuere vagos ripis ſine murmure fluctus.
Et multæ optabant juveni placuiſſe: ſed Echo
Hunc ſibi præ cunctis meritò depoſcit honorem,
Echo Hamadryadum pulcherrima. Viderat illum;
Et pariter vultu, pariter dulcedine vocis
Arſerat: ingenuum nec diſſimulabat amorem.
Ergo pedem quocumque tulit, cantantis ab ore
Pendet amans Virgo. Sive is vagus errat amœnas
Per valles; gelido ſeu frigora captat in antro,
Æſtivoſque fugit ſoles; ſeu margine fontis
Gramineo recubans nervos impellit & undas:
Echo hæret lateri; ſequiturque audita fideli
Plectra ſono, paribuſque modis æquare laborat.
Audiit has Faunus vicini è culmine montis

Delicias, magnoque furens excanduit æstu.
Nam sibi præ Nymphis Echo silvestribus unam
Sperabat thalamo Faunus sociare jugali:
Et sæpe huic calamis surdas ludebat ad aures,
Sæpe incomposito referebat carmine curas.
Addiderat precibusque minas, & fletibus iram:
Virgineum si fòrs posset mollire precando,
Vel superare metu pectus. Sed nescia flecti
Nympha procum ridet: gemitusque precesque superbo
Fastidit vultu, furias nec curat amantis.
Mollem quippe animum formosior ignis adurit,
Nec jam alias victo potis est admittere flammas
Pectore. Luscinius placet unus, & unus amatur.
Ah! quid agis, Virgo? Deus est quem despicis, asper
Est Deus, & frænos docilis laxare furori.
Sed surdus nil audit amor: securaque pœnæ
Mortali præferre Deum non sustinet Echo.
Ipse autem impatiens iræ, impatiensque repulsæ:
Ergo nescio quis Fauno præponitur, inquit,
Speratosque intercipiet fidicen hymenæos?
Sentiet ille tamen quem tu mihi, perfida, præfers;
Sentiet, & dura fastidia morte piabit,
Contemtusque tuos. Nostri solatia certè
Ista doloris erunt, quod non potieris amato.
Sunt Dryades silvis aliæ, sunt Naïades undis,
Nec formâ indecores. Unam cur millibus amens
Antefero? non est Echo me judice tanti.
Talia flammato secum sub pectore volvens
Ingreditur lucum Capripes: ubi fontis ad oram
Gramine sub viridi par lene sedebat amantum,
Demulcens curas cantu, mollesque vicissim
Ad sua suspirare docens suspiria chordas.
Quos simul ac longè ferus aspicit, avia pulsans
Horrendo fremitu juga, convallesque supinas:
Et video, exclamat, vestrum mea probra furorem,

Et punire licet. Subitus nil tale timentes
Oppressit pavor, & vocem cum lumine ademit.
Ut verò rediere animi, & vox reddita Nymphæ est;
Tela Dei & furias contra, miserabile pectus
Objiciens, totoque tegens sub corpore amantem:
Si qua, inquit, restat pietas, si gratia nostri
Ulla super, ferro juvenem violare nefando
Immeritum ne tende, vel hanc priùs exue vitâ,
Et mea Luscinii per viscera transige pectus.
Una duos virtus concordi fœdere junxit:
Eripiet mors una duos, jungetque sepulcro.
Interea juvenis furtivo saucius ictu
Labitur, infelix sequitur quem Virgo cadentem.
Qualis pampineis circumdata frondibus ulmus,
Cui multam agricolæ duri impegere bipennim,
Fessa ruit, traxitque maritam pondere vitem.
Haud aliter miseros casus tulit unus amantes:
Sic ambo in media sibi morte suprema dederunt
Oscula; sic animas ambo simul exhalarunt.
At caræ exitium prolis miseratus Apollo
Esse dedit volucrem, maculisque rubentibus alas
Aspersit, memores effusi cæde cruoris.
Ille tamen priscum mutato corpore nomen
Servat adhuc, moresque suos. Par gloria cantûs,
Par amor est. Illum sua nunc quoque diligit Echo,
Non jam Nympha Echo, & Fauni invidiosa voluptas;
Sed sine mole sonus, sine pondere vocis imago.
Luscinium sequitur silvis, & reddere gaudet
Nunc etiam teneros parili modulamine questus.





RIVI RIVALES

AD

V. ILL. GUILLELMUM LAMONIUM PARISIENSIS SENATUS PRINCIPEM.

SI quis adhuc te ruris amor tenet, urbe relicta
Huc ades, ô Guillelme: fori dum jurgia cessant,
Et Themis ipsa etiam positâ capit otia librâ.
Non tamen hîc lites deerunt tibi: sunt quoque silvis
Quas & ames rixas componere. Fontis ad oram
Dum sedeo, raucæque silent per prata cicadæ,
Rivales nuper vidi concurrere Rivos.
Si vacat, agrestem nec dedignabere Musam,
Dum tacet omnis ager, nemoris dum gratior umbra est;
Rivorum tibi sollicitos referemus amores:
Rivales causam dicent te judice Rivi.
Formosi fontis custos formosior ipsa
Callirhoë geminos mediis urebat in undis,
Tantum, perdite Amor, tua possunt spicula, Rivos.
Ambo udis orti sub rupibus, ubere venæ
Ambo pares, longis insignes cursibus ambo,

Huc fato tulerant se dispare. Mollibus alte
Luxurians ripis, læto cum murmure lymphas
Prata per, & saltus, & olentes floribus hortos
Evolvit; pictoque argenteus innatat alveo.
At torto sese alter agens pede, sentibus aspris
Heu! lacerum corpus trahit, & vix per scabra saxa
Eluctatur: eunt adjutæ fletibus undæ.
Non tamen ille minus sibi Naïada destinat amens:
Et quamvis miser est, amat, & se poscit amari.
Ac prior, his illam certans mollire querelis
Cœpit. Eo dicente, trahunt suspiria venti,
Flent volucres, mæstis singultibus adgemit Echo.
Siste gradum, fugitiva: tuus, licèt ipse repugnes,
Te tuus orat amans: certè usum nominis hujus,
Quem pro te patitur, meruit labor. Hei mihi! duro
Si nequeunt etiam mitescere corda labore.
Nonne vides longis ut fessæ erroribus undæ,
Dum per tanta sequi divortia pœnitet illas,
Ah! miseræ bibulis ultro immoriuntur arenis.
Nec me adeo, quod inops, tenuique inglorius alveo,
Et Rivus videor sine nomine, despice Nympha.
Dum properamus, aquæ pars faucibus hæsit iniquis,
Pars est hausta solo, pars intercepta lacunis.
Dimidium nostri vix cernitur. An quia canos
Esse vides, fluctus irâ infervescere credis,
Atque metu trepidas? Non induit ira colorem
Hunc illis, sed amor: mecum pallescere discunt
Ipsi etiam; & curas fluctus imitantur heriles.
Quem fugis, ille tamen multas quoque Naïadas urit,
Nec formâ indecores, nec quas te judice amare
Sit pudor. Est Cyane, notum tibi nomen, in illis.
Sæpe mihi Cyane dotales obtulit undas:

Sæpe mihi dixit: Thalamo, pulcherrime, nostro,
Dum calor est, libeat requiescere. Molli amarantho
Pictus erat thalamus, ferrugineisque hyacinthis:
Et gravis æstus erat, & eram defessus eundo:
Sustinui Cyane præter tamen ire relictâ.
Illa aspernanti tristissima quæque precatur:
Et valuisse preces sensi miser. Ecce ferenti
Per sola plana pedem, pronaque in valle ruenti
Occurrit saxis pendentibus horrida rupes.
Ut vidi, ut tremui, ut ripæ conterritus hæsi!
Nam neque jam retro vestigia ferre licebat:
Nec, si etiam possem, sineret furor. Invia amanti
Nulla via est: crevere animi crescentibus undis.
Jam rupem super assurgit præruptus aquæ mons,
Diluviemque minatur: at illa immota solo stat.
Ipse ut eram præceps saltu me immitto per auras.
Atque cadentem ingens sequitur fragor. Unda resultat
Pumicibus scabris illisa, iterumque relabens
Cogit sidere humum. Patet atro limes hiatu:
Meque rapit torto cum vortice, fertque sub umbras.
Vos testor, Stygii, pallentia Numina, manes:
Immemor ipse mei, sed non oblitus amorum,
Callirhoën media formosam in nocte vocavi;
Callirhoëque vale, vale ô pulcherrima, dixi.
Callirhoën surdo retulerunt murmure valles.
Inde tamen rupta redeo tellure sub auras.
Sive fuit pietas; seu, quod reor, ira Deorum:
Et renovo Alphei miracula dispare fato.
Nam mihi post tantos nulla est Arethusa labores,
Quæ fessum levet, & curas soletur amando.
Quin gravior clades superingruit. Unda maligno
Dum fremit anfractu deprensa & faucibus arctis;
Olli horrenda, ingens, immani corpore moles
Claudit iter. Rauco stridens rota vertitur axe,

Et longa exertos circumfert cuſpide dentes.
Credo equidem, haud alio laceros Ixionis artus
Orbe trahi Stygiis ſpectant in vallibus umbræ.
Ter circum immenſos rapida vertigine gyros
Correpti latices obiere : ter incita curſu
Subjectam in cautem disjecit machina longè
Diverſos : ſcopulis ſpumæ rorantibus albent.
Ipſe fugam interea celerare, & murmure anhelo
Dira queri tormenta. Ut acutùm ſibilat anguis
Terga ſolo ſinuoſa trahens, quem fortè viator
Duro improviſum læſit pede. Nec mihi retro
Ferre oculos, tantus pavor eſt, fiducia reſtat.
Uſque rotæ ante animum feralis oberrat imago.
Hinc alii atque alii ſalebroſo in tramite caſus,
Crebraque per ſentes, per & implicitas vepretis
Longâ ambage vias, divortia. Sed quid inani
Jactare hæc ſtudio ventis juvat? Improba noſtros
Callirhoë ridet fletus, & paſcitur illis.
Paſcere crudelis; tibi jam felicior alter
Partus amans, cui flore torum, muſcoque virenti
Sternere mox libeat. Cupientem dicere plura
In præceps traxit dolor, & ſtagno intulit alto.
Proſequitur riſu caſum infelicis amaro
Rivalis. tum ſic fari incipit : Atque ibi lætas
Exultare ſolo pecudeſque, feraſque videres
In numerum, & prono nutare cacumine pinus.
Egregiam verò dotem, & te conjuge digna
Ruſticus ille procus fert munera. Nunc, age, ripis
Concine, Hymen Hymenæe : tibi licet eſſe maritam
Callirhoë. Rigidis mucronibus aſpera pumex
Scrupoſo thalamos jamdudum ſervat in antro.
Jam dira incipiet molles rota frangere fluctus.
Scilicet in pœnas ſibi nubere blandus amator
Te velit, & magna luctum mercede paciſci?
Ah! fuge crudeles tædas, fuge barbara vincla,
Et mecum propera felicem ducere vitam.

Quæ te conjugio tali non invida cernet
Naïadum? Tenuis nec enim & ſine nomine Rivus,
Ægrè inter ſilices niſu eluctatus anhelo,
Obſcurum juncis celo caput. Ubere venæ
Haud ego fluminibus magnis certare recuſem.
Me quoque jam flùmen dicunt, ubi frigidus alto
Humentem cælo reclinat Aquarius urnam,
Paſtores: potuique hoc dignus honore videri.
Aſpicis, ut leni ſeſe demittere clivo
Subjectas procul in valles mons gaudet? ibi udis
Picta ſinum violis, & odoriferâ calaminthâ,
Inſtravit cunas tellus naſcentibus undis.
Illas vicinis Dryades de montibus, illas
Cognatæ mirantur Oreades; & pede circùm
Exultant incompoſito, exercentque choreas.
Projiciunt flores Hyale, & formoſa Melhydris;
Blanditiiſque fugam, ſertiſque inhibere laborant
Incaſſum: juvat ire, & quà ſuus impetus, & quà
Noſter amor latices ſecum trahit: haud ſine largo
Nympharum fletu, & maternæ murmure rupis.
Ecce ſub extremum collem viridi area campo
Immenſum excurrens protenditur: ulmus opacis
Ordine quadruplici mediam diſcriminat umbris.
Hac picturato feror invidioſus in alveo,
Illimemque vadis ago perlucentibus undam.
Hîc mecum licet æſtivos infringere ſoles,
Hîc teretes grato ſtrepitu objurgare lapillos.
Auratus tibi dotali ſub gurgite ludet
Carpio, purpureiſque cutem Trutta oblita guttis.
Lenia miſcebunt nivei certamina olores.
Ne nimis iſta tamen placeant tibi: ruſtica Rivos
Simplicitas juvat agreſtes; mihi culta per artem
Gratior, & multo quæſita labore voluptas.
Nympha veni, & luxu nunc demum aſſueſce beato.

Te domus invitat felix, hortique superbi
Quos lavisse datur: pars sum quoque laudis in illis.
Et nunc citrorum silvas mirabere olentes,
Antraque gelsemino fragrantia: nunc pede mecum
Errabis liquido per floriferos mæandros,
Pallentes violas gaudens allambere, & ægris
Oscula ferre rosis. data reddent oscula vitam.
Nec sua festivo desunt spectacula ludo.
Mille modis saliunt dociles ad nubila lymphæ,
Mille modis recidunt, sed dum saliuntque caduntque,
Vis tamen omnis abest; ludi trahit una voluptas.
Hæc & plura canentem, averso numine, Rivum
Improba Callirhoë rauco cum murmure fugit.





CUPIDO IN PARNASSO MULTATUS.

AD V. CL. ANTONIUM VYONEM HEROVALLIUM

In ſuprema Regiarum Rationum Curia Auditorem.

INTENTAS ſtudiis Muſas, operumque labori
Deſpectare ſuos arcus & tela Cupido
Audierat; fletuque altum prodente dolorem
Sic Veneri fatur: Mene hæc opprobria, mater,
Poſſe pati: noſtrum molles impune puellæ
Detractare jugum certent? Si fulmina ponit
Juppiter, & toto cedit mihi gurgite Nereus:
Si dominum tellus, ſi victa fatentur Amorem
Tænara, cur Cirrha imbellis mea numina temnit?
Subriſit Venus, & puerum complexa ferocem,
Abſtergenſque manu lacrimas, Quid inutile, dixit,
Affectas decus, & vana ambitione tropæa
Invidioſa petis? Non eſt, me judice, tanti
Idaliis ſterilem regnis adjungere Pindum.
Si tamen hæc penitus fixa eſt ſententia cordi,
Qua cœptis arte inſiſtas te, nate, docebo.
Eſt inter comites longè fidiſſima Nymphas

Circeis Malace : quâ non solertior ulla
Segnitie mollire animos, & frangere luxu.
Hæc mihi sæpe ferum docuit mitescere Martem,
Et lento vacuam Lemnon cessare marito.
Tu rerum cape consortem sociamque tuarum.
Illam vicino sectantem umbracula luco
Invenies. Paret matri Cythereïus Ales,
Monstratumque celer volat in nemus. Ardua myrtus
Frondebat, luci gratum certamen & umbræ :
Quam subter viola, multoque effulta recentis
Flore rosæ, frigus Malace captabat amœnum.
Stat circùm festiva cohors; exosa laborem
Pigrities, tenerique soror Lascivia Risûs,
Garrulitasque, Jocique leves. pars solvere crinem
Colla per atque humeros, & olenti aspergere myrrha :
Pars laxare sinus, ventumque ciere flabello.
Ipsa oculos nunc dat jusso indulgere sopori,
Nunc speculo affigit; seseque explorat in illo
Miratrix. Blando cui sic Amor institit ore :
O Paphii columen regni, sua sub juga missum
Cui debere parens orbem haud ingrata Dione
Agnoscit : fer opem, & crudele ulciscere probrum.
Gens inimica mihi Parnassi insultat ab arce,
Quique urunt mundum, ceu vanos, despicit ignes.
Otia fac resides luxumque insuescere discant :
Otia per, segnemque soluto pectore luxum,
Fors nostra incipient revereri sceptra rebelles.
Illa refert : An sit munus mihi gratius ullum
Quàm parere tibi, Divûm arbiter, atque hominum rex ?
Ne dubita : victas facili certamine Musas
Continuo aspicies myrto submittere laurum.
Sic effata toro surgit : frænisque columbas
Imperat adduci bijuges. hunc Cypris habere
Pro meritis quippe egregium concessit honorem.

Nec mora conſcendit currus, quos Mulciber olim
Stellati ſpolio pavonis, & alitis Indæ,
Struxerat; inque jugum mollem ſe vertere plumam,
Inque rotas dederat: pluma quoque fecerat axem,
Ductilibus gemmis ſtringens lentoque orichalco.
Illa volat, celereſque notos poſt terga relinquit.
Et jam Pierios montes ſaltuſque tenebat.
Atque ibi, nequa exin ſtructis mora fraudibus obſtet,
Induitur cultus, & caſtæ Palladis ora.
Dat capiti galeæ criſtas; thoraca trilicem
Dat geſtare humeris: manus altera ſuſtinet haſtam,
Altera terribili defendit Gorgone pectus.
Non illam Muſæ, non ipſe agnoveris augur
Delius: uſque adeo mendax imponit imago.
Ergo pedem ſacris fidens penetralibus infert:
Et procul, ô dignæ fato meliore ſorores,
Ecquis, ait, curis modus ingratoque labori?
Scilicet ætheriæ ſtirpis Saturnius auctor
Vos velit infelix agitare in montibus ævum,
Dum mortale bonis fruitur genus, & ſua carpit
Otia. Quin potiùs luxu indulgere beato
Tempus erat, vitæque Deorum aſſueſcere Divas.
Sic memorans it in amplexus, atque oſcula jungit,
Oſcula Virginibus non convenientia caſtis.
At Muſæ magno pro munere ſolvere grates,
Ignaræ ſcelerum, & paribus certare viciſſim
Blanditiis: pendentque Deæ fallacis ab ore;
Peſtemque accipiunt oculis, & dulce venenum.
Jam ſolitas damnant artes; jam condere carmen,
Heroumque decus celebrare, & Martia geſta
Pœnitet. Immunes litui ramalibus hærent:
Et citharæ ventis mæſto præbere queruntur
Murmure ludibrium. Gliſcit fatalis ubique
Segnities, pulſiſque laboribus otia regnant.
Quæ poſtquam lætis aſpexit filia Circes


Luminibus, cursuque dolos procedere dextro,
Deserit Aoniam: primoque in limine Amorem
Increpitans, dictis cunctantem talibus urget:
Vade tui atque mei tandem securus. Inerti
Lætantes luxu tibi debellare Camenas
Nil opus: accipient leges quas jusseris ultro.
Ceu quondam tenero insidias molitus ovili,
Nocte sub obscura furtim involat, altaque saltu
Transit septa lupus: tum demum solvere gaudet
Collectam ex longo esuriem. Sævitque, furitque
Dentibus, & nullo discrimine corpora passim
Obvia discerpit: miscentur matribus agni.
Atque illos rabido vorat ore, vel unguibus uncis
Proculcat lanians: fluit atro sanguine rostrum.
Nescius interea dormit sub stramine pastor.
Haud secus infenso violentia gliscit Amori
Castæ in perniciem gentis: tædamque, sagittasque
Expedit, imbellemque manum petit omnibus armis.
Forte Hippocrenes Erato reclinis ad oram,
Formosos liquida vultus spectabat in unda,
Et nigros nivea laudabat fronte capillos.
Ut videt, Haud telis erit hæc impervia nostris,
Inquit Amor: sique omen habent cognomina certum,
Quod faciam, vulnus non accepisse dolebit.
Protinus aurata promit duo tela pharetra:
Melle uni, multoque imbuta est nectare cuspis;
At gravis alterius sub acumine flamma coruscat:
Torsit utrumque simul, Divæque in pectore fixit
Arcitenens. Risus plagam lacrimæque sequuntur,
Gaudiaque & gemitus, & mista dolore voluptas.
Parte alia viridi laurus sub tegmine Clio,
Blandaque Terpsichore, modulos præeunte Thalia,
Brachia certaban chorea exercere decenti,
Atquepedes. Dumque alternis flectuntur in orbem,
Dum fugiunt, redeuntque vicissim, & mutua libant

Oscula, sævus eas ictu transverberat uno
Aliger. At trepidæ, & vertenti terga Thaliæ
Occurrit tæda, & densos super excutit ignes.
Olli ingens labefacta calor per viscera serpit,
Et penitus cæca populatur tabe medullas.
Audiit Euterpe gemitus labentis, & unà
Ferre parabat opem rupto Polihymnia somno.
Quum procul ah! miseris nervo venit acta sagitta
Fata utrique ferens ferro contraria eodem.
Euterpe riget, ac demissum in pectora vulnus
Singultu, & gelido tantùm pallore fatetur.
Æstuat, & toto ardescens Polihymnia vultu,
Stare loco nescit, silvasque ululatibus implet
Plena Deo. Qualis primi sub tempora veris,
Sanguineo costas œstro perculsa juvenca
Calcitrat, & sævo incassum ferit aëra cornu;
Si qua vi pestem queat excussisse molestam:
Mugitu simul horrendo cava litora pulsat.
Respondent tristes vicino è gramine tauri.
Qui tibi tum sensus fuit, immitissime Divûm,
Quum stragem hanc, specimenque tui crudele furoris,
Aspiceres? Necdùm mens exsaturata quievit
Successu scelerum tanto: victorque vocari
Posse negas, dum restat adhuc quod vincere possis.
Quà latus obvertit mites Parnassus ad Euros,
Atque jugo sensim in vallem clemente recumbit;
Lucus erat rivis, salientis & ubere lymphæ
Inclytus: Uranie quò se pertæsa tumultum,
Melpomeneque soror, reginaque Calliopea,
Secessus captæ studio, conferre solebant.
Hîc tum sponte sua natos de cespite flores
Gaudebant legere, & lectis intexere crinem.
Quas procul aëria speculatus ab arce Cupido:
Extremum hunc tibi, mater, ait, Cytherea, laborem
Aggredimur, spoliumque tuis promittimus aris.

Concutiensque alas simul astitit : & simul arcu,
Telorum in Musas nimbum nil tale verentes
Improbus effudit. Nec lampade segnius instat :
Sed premit attonitas, flammatoque obruit imbre.
Utque suis major veniat fiducia rebus,
Ipse arcu, & jaculis, tædaque potentior omni
Irruit in medias, & præsens numine toto
Aggreditur. Subita turbatæ clade sorores
Consilio, atque animis poterant cecidisse videri.
Succurrit pudor, & fortis discrimine summo
Virginitas : vetuitque jugo succumbere Amoris.
Ergo indignantes tantum licuisse, vicissim
In pugnam furiasque ruunt : puerumque nefandis
Exultantem ausis, & jam Pæana canentem
Corripiunt, manicisque onerant & compede multa.
Ecce autem insolito clamore supervenit omnis
Excita Parnassi domus : auctoremque malorum
Protinus ad pœnas studio certante reposcunt.
Dat prior Uranie signum, pennisque revulsis
Ne qua reo effugii pateat via, mollia nodo
Imperat ad bifidam religari brachia myrtum.
Tum verò ultrices nudos pendentis in artus
Exercent iras. Juvat instrumenta furorum
Ipsius in domini tormentum vertere, & armis
Excruciare suis. Arcum Polihymnia frangit,
Atque manu chordam torquens, ceu verbere crudo
Insonat, & densis lacerum vibicibus urit.
At pharetram Clio lacrimis implevit obortis :
Terpsichore gemitus, Erato suspiria junxit,
Quæ nuper dolor, & blandi vis sæva tyranni
Extuderant. Calido perfusus flumine membra
Flet miser, & fletu miseras solatur amantes.
Nec minùs Euterpe fatalem lampada quassans,
Intentat quos sæpe sibi ferus obtulit ignes :
Flammisque ah ! nudum torret latus. Ira Thaliæ
Mitior est : summaque tenus cute pungere terga,

Atque levi contenta fuit distringere ferro.
Non ita Melpomene: sed in hostis ludere pœna
Indocilis, geminas ipsis cum naribus aures
Amputat, & turpi deformat vulnere vultum.
Lumina restabant miseram plorantia sortem,
Linguaque lamentis consolatura dolores.
Hanc quoque Calliope telo præcidit acuto;
Effusosque cavis disjecit sedibus orbes.
Vicimus, exclamat: tuaque, ô sanctissima rerum
Virginitas, justis ulcisci denique sacra,
Nosque adeo insontes unius reddere pœnis,
Auspice te, licuit. Casta redimite, sorores,
Fronde caput, Numenque hilares celebrate pudicum.
Immò agite, ac pestem vestro quæ noxia fontes
Jam dudum incestat, letalique inficit aura,
Pellite, Parnassique jugo detrudite ad umbras.
Haud secus ac jussæ faciunt: puerumque cruentis
Deformem plagis, oculisque alisque carentem,
Præcipitant, risuque etiam insectantur amaro:
Nunc eat, & Paphiæ matri spolia ista reportet.
Interea fractos arcus, vacuamque pharetram,
Telaque rapta Deo, & restinctis lampada flammis,
Colligit Uranie: truncæque ab stipite laurûs
Suspendens, titulum vivo sub cortice signat:
PIERIDES HÆC DE SUPERÛM VICTORE TROPÆA.





IMAGO LUDOVICI MAGNI

AD SERENISSIMUM DELPHINUM.


FRAGMENTUM.

REGIA Progenies, Divûm certissime sanguis;
Cui Reges Divosque tua de stirpe vicissim
Gallia debebit: tenerum si gloria pectus,
Si virtutis amor solita dulcedine cœpit
Pertentare animum, & vincendi pulcra cupido:
Huc ades, ô DELPHINE, Patrisque in Imagine vultus
Fige tuos. Quod enim deceatque juvetque tueri
Sola offerre potest: nec quidquam grandius illâ
Quod mireris habet, qua se cumque explicat orbis.
Cuncta licet relegas ævi monumenta prioris,
Scruterisque solo penitus Babylona sepultam,
Et campos ubi Memphis erat, fundataque Persæ
Mœnia, nunc cinerem, & disjectis rudera saxis;
Et formidatam Latio Carthaginis urbem,
Imperiisque gravem Pellam, & Byzantia regna,
Thebasque, Spartenque, & clarum nomen Athenas,
Et Romam rerum terraque marique potentem;
Nil simile invenias, nil magno æquale Parenti.

Aſpicis ut laudis longè præſaga futuræ
Corpore in egregio ſedem Natura paravit
Regnatore animo dignam ; voluitque videri
Exhauſiſſe ſuas vires, dum nititur orbis
Imperio formare parem. Quantum inſtar in illo eſt !
Quàm bene florentes diffuſa juventa per artus
Nativum ſparſit robur, formæque lacertos
Addidit ! Auguſto pariter clementia vultu
Majeſtaſque ſedent, & amorem in corda tuentûm
Terroremque ferunt. quamquam ille præoptat amari,
Atque ſupercilio faſtus permittere nullos,
Nullam oculis iram ſuevit. Stat fronte ſerena
Immutata quies : placideque modeſtia nutu
Mitigat obſequium, ſceptrique tuetur honorem.
Credo equidem haud aliam priſcis Heroïbus olim
Cernere erat ſpeciem, cùm nondum cognita terris
Ambitio foret, aut fortunæ ſumma poteſtas :
Nec regni totum in bello ac victricibus armis
Jus ſtaret. Pulcro fulgens in corpore virtus
Faſces & trabeas, nullo prenſante, ferebat :
Et formæ arbitrio dominos optare, jugoque
Colla ultro dulci gaudebant ſubdere gentes.
Sic damnatus avo ſævi formidine ſomni,
Ignotuſque ſibi, Medorum victor agebat
Silveſtres inter turmas, & ruſtica Regem
Agmina. Non olli ferro tutante ſatelles
Cingebat latus ; aurato nec acumine ſurgens,
Solis ad invidiam, pretioſa luce tiaras
Fulgebat capiti. Sed toto Martius ardor
Ore micans, acreſque oculi, & robuſta venuſtas,
Spondebant domitorem Aſiæ : & ſub paupere tecto
Privatæ juvenem properabant demere ſorti.
At major propiorque Deo, DELPHINE, Parentis
Magnanimi populis ſeſe mirantibus offert
Majeſtas. Hanc plebeio ſi certet amictu,

Aut paſtoralis tugurî occultare ſub umbra;
Fortunæ mendax humilis non fallet imago:
Et ſua lux Solem media inter nubila prodet.
Quanquam iſtos formæ LODOICUS ſpernat honores,
Quos Natura dedit, non & labor, & ſua virtus.
Ergo illum à teneris fugientem ignobilis otî
Venatus, ſtudiumque decoræ haud molle palæſtræ;
Et belli grata effigies exercuit annis;
Obdurans animum pariter corpuſque labori,
Informanſque ducem ludo. Quis pulcriùs ora
Bellatoris equi lentis moderatur habenis?
Seu velit aſſultare ſolo, greſſuſque ſuperbos
In numerum glomerare: levem ſeu poſcat aperto
Æquore inire fugam, pedibuſque laceſſere ventos;
Tum medio ardentem ſpatio conſiſtere, & orbes
Torqueri in varios vocemque manumque regentis
Agnoſcit docilis ſonipes, & pondere tanto
Exultans loca latè hinnitibus implet acutis.
Cumque Palatini vocat ad certamina Circî,
Solemneſque aulæ inſtaurat THERESIA ludos:
Primus ibi ante omnes procerum comitante caterva
Rex campo exultat, ventoque & fulminis alis
Ocior, haſtili ſuſpenſum trajicit orbem
Ad metas, jaculiſve Meduſæ verberat ora,
Et prono fugiens tollit caput enſe revulſum.
Victorem plauſuſque virûm, cantuſque tubarum
Ingeminant; hunc læta animis Auguſta coronat.
Te ſtimulis, DELPHINE, ardentibus æmula pungit
Gloria, jamque parem optares tibi creſcere laurum.
Sed quid ego hæc autem decora & virtutis honores
Privatæ ſequor, & commendo in Principe dotes
Quas Natura dedit? tua laus eſt, MAXIME REGUM,

Leges ferre æquas populis, ſceptrique ſub umbra
Subjectos tegere, atque hoſtes avertere ferro.
Hincque immenſa mihi ſeries ad carmina rerum,
Mortalique impar ſurgit labor. ire per omnes
Quippe juvat laudum titulos, per & omnia famæ
Nomina fidentem pennis, terraſque volantem
Longè humiles ſuper, ac tecum ſuccedere Olympo,
Unde tibi Heroas ſpectem ſuccumbere victos




DE SENEFENSI VICTORIA.

FRAGMENTUM.

HOc erat, eventûs quod mens præſaga futuri
Spondebat ſibi; cùm trepida Condæus ab urbe
Fortunam Divoſque trahens ſub ſigna faventes
Iret in occurſum belli, par hoſtibus unus
Innumeris. Franget, dicebam, Teutonas armis,
Et conjuratum Batavo ulciſcetur Iberum.
Numen habent Vates, & dictis conſona ſervant
Facta fidem! Vicit Condæus, & agmine in uno
Tergemina tulit inſignem de gente triumphum.
Qualis ab extremo rediens Tyrinthius orbe,
Poſt durum Libyæ Martem, Atlantiſque labores,
Geryona invaſit; cui corpus Iberia mater,
Horrendum viſu! triplex, bis terna movere
In pugnam dederat naſcenti brachia, ferro
Ter mactandus erat. Dextris tamen omnibus illum

Truncavit clava, & telis totidem exuit Heros.
Vidi egomet clara ingentis monimenta duelli.
Europæ exuvias, victosque ex ordine Reges,
Captaque signa ducum, & rorantes sanguine multo
Germanorum Aquilas, rictusque unguesque leonum
Gentis in exitium nostræ, cædemque paratos
Nequicquam: quæ divinæ ad delubra Parentis
Fidam expertus opem LODOICUS rite sacravit;
Et nunc illa tholo pendent illustre tropæum,
Defixosque tenent oculos & hiantia corda.
Atque aliquis notæ referens miracula pugnæ,
Forsitan & testis: Tristi quæ pallida luto
Signa metum produnt, inquit, Dominique pavorem,
Abjecit primo belli tentamine miles,
Adductis melior scrutari Nerea remis,
Quàm tentare manu Martem. In certamina Belgas
Hæc misere truces, Sequanum, Flandrumque rebellem.
Cantaber illa suo moriens decorata cruore
Imbuit. His Germana phalanx protecta morari
Franciadum assultus, totamque repellere molem
Armorum, longùm obnitens speravit; inultam
Nec laurum victori, inlaudatamque reliquit.



ODÆ.



AD

SERENISSIMUM PRINCIPEM

CONDÆUM

POST SENEFENSE PRÆLIUM

ET SOLUTAM ALDENARDÆ

OBSIDIONEM.

ODE I.



UIS me curuli per vacuum æthera
Nimbo volantem ſuſtulit, avios
Squalentis in colles Seneſi;
Quà ſociis inimica ſignis
Stant caſtra, ferro vertere Galliam
Jurata? Nigrum pulvere Martio
Agnoſco CONDÆUM, & decori
ENGUINEUM comitem pericli.
Proh! quantus illum per medias rapit
Ardor phalanges! fulmineâ ut manu
Bellator hoſtiles maniplos
Verſa fugæ dare terga cogit!

Jam decolores sanguine Belgico
Undare campos ; jam Batavûm ferâ
Cervo minorem strage Sabim,
Scuta per & galeas anhelo
Retro ire cursu. Non sua Teutonas
Castella densis invia vepribus ;
Non clausa lucorum, & cavatæ
Diluviis sub agros lacunæ,
Rupto paventem fœdere Cantabrum
Tutantur. Heros omnibus ingruit
Par unus : infestis vicissim
Unum acies petit omnis armis.
Ter feta nubes grandine ahenea
Flammisque, nudum depluit in caput :
Ter furns in sese fidelis
Vertit equus domino paratum.
Fies honesto tu quoque vulnere
Nomen futuris nobile sæculis,
HENRICE : nec patrem redemtum
Corporis oppositu tacebit
Injurioso fama silentio.
Quin Roma priscum Scipiaden novis
Submittet exemplis ; suumque
Te potiùs volet esse civem.
Io ! triumphum miles io ! canat.
Gallus triformem Geryona Hercules,
Longo reluctantem duello,
Parte sui meliore fregit.
It truncus uno corpore ; nec triplex
Cervice fessa ferre valet caput ;
In seque discors ac rebellis
Altera BORBONIDÆ tropæa
Sub Aldenardæ mœnibus excitat :
Quæ cincta vanis obsidiis, fuga
Turpi reliquit ; mox daturus
Clade novum geminata honorem.



AD

EUMDEM SERENISS. PRINCIPEM SOLO VICTITANTEM LACTE.

ODE II.

NE ſit pudori lacte regales mero
Mutare, BORBONI, dapes;
Luxu & remoto, pellere innocentibus
Sitim famemque poculis.
Haud alius olim, rege Saturno, cibus
Heroas aluit & Deos:
Cùm pura adhuc, recenſque ab auctoris manu,
Natura neſciret dolum:
Riviſque latice candido manantibus
Curam & labores mergeret.
Tunc illa lacti concolor proles ſuo
Agitabat ævum lætius:
Nec quid ſenectus, quidve lautitiæ comes
Foret podagra, noverat.
Tunc & capellæ plena ſiccantem ubera
Tellus adoravit Jovem:
Qui, ne ſibi unquam tam bonus deeſſet liquor,
Nutricem Olympo tranſtulit.
Apollo dulci rore cùm cuperet frui,
Servavit Admeti boves:
Mammaſque crebro ſuxit, ambroſiæ ut vetus
Abſtergeret faſtidium.
Hoc ipſe madidus nectare Alcmenæ puer
Nova fecit orbi ſidera:

Quot ab ore guttæ, dum bibit, defluxerant,
Tot iere per cælum faces.
Languere inerti ne tamen crede otio,
Queis molle placuit pabulum.
Lac auget animos. Inde magnorum venit
Effector operum spiritus,
Puroque bilis igne, cognata & ferens
Superas ad arces pectora,
Ætherius ardor. Sic feros idem Hercules
Lactantis in matris sinu
Elisit angues; seque conciliis Deûm
Patrioque deberi polo,
Jam tum probavit. Sed quid exemplis fidem
De fabulosis quærimus?
Ephratæus ille pastor, immanes manu
Cui ludus ursos frangere:
Cui sæpe presso gutture horrendum fremens
Succubuit in silvis leo:
Virtutis unde robur indomitæ hauserat,
Et cor pavere nescium?
Per sola patrios rura sectantem greges
Succo fovebat vivido
Expers aratri vitula, & infestis lupos
Lacessere audax cornibus.
Hinc funda victrix, & Palæstinus caput
Suo ense truncatus Gigas.
Tibi ipse testis, BORBONI, in lac Martios
Restinguat ignes pectore.
Dicat Batavo mutuam in cladem & probrum
Malè fœderatus Celtiber:
Epulisque opimis frustra, & ardenti mero
Germanus iram suscitans.
Valles Senefi strage cumularunt suâ,
Vinoque rubrum & sanguine
Auxere Sabim. Pinguia obscœnas adhuc
Pascunt volucres corpora.


Seu cùm Libyſſæ matris expreſſum bibit
  Mammâ furorem turgidâ,
In bella catulus fertur; & ſævos boum,
  Triſtique cuſtodum nece,
Exercet ungues. Efficaci poculo
  Ad arma ſic vigor redit,
Nova & juventus. [a] Te quidem nuper tribus
  Cùm vidit auctum laureis,
Hoſteſque trepido fugere cogentem gradu,
  Alſatia juvenem credidit.
Nunc ergo dum te rore vitali fovet,
  Vireſque feſſas recreat;
Lacti viciſſim reddis antiquum decus,
  Meritoſque honores aſſeris
Nam jure dici meruit Heroum cibus,
  Quando ipſe feciſti tuum.
[b] Jam Gallus omnis, nomini favens ſuo,
  Præ delicato nectare,
Faſtidioſus deſpuet ſuetas dapes,
  Spretique dona Liberi.
Jam rurſus imbre lota divino, novum
  Trahent nitorem lilia.
At tu liquores quæ gravi nunquam ubere
  Summittere almos deſinis,
Juvenca felix! ſi poteſt quicquam meum
  Spondere carmen, & poteſt;
Non fabuloſis clara Graiûm verſibus
  Io tibi ſe præferet:
Ex homine quanquam facta bos, Dea ex bove
  Templo remugît aureo;
Populoſque, blanda voce poſcentes opem,
  Oraculis conterruit.

[a] Expugnato Limburgo, Hagenâ & Tabernâ obſidione ſolutis.

[b] Galli à voce γάλα, quæ lac ſignificat, habere nomen dicuntur.

Dicêre quondam nobiles inter feras
Tenere Olympi paſcua :
Vernoſque cornu ducere aurato dies,
Tauri marita lucidi.
Interea olentes perge regali memor
Herbas alumno carpere.
Præſteſque Francis, lactea ut ſerus via
CONDÆUS ad Superos eat.





AUREUM NUMISMA CELSISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI EPISCOPI PADERBORNENSIS, COADJUTORIS MONASTERIENSIS, COMITIS PYRMONTANI, LIBERI BARONIS DE FURSTEMBERG, ab eo muneri miſſum.

DIALOGUS POETÆ ET NUMI.

ODE III.

P. AT unde nobis luce pretioſa micans
Se ſponte Numus ingerit;
Oneratque diti pondere humanas opes
Neſcire juratam manum?

An fraudulento rursus illi Juppiter
    Defluxit imbre prodigus?
Hermusne arenis dives, & avari Midæ
    Voto superbus improbo
Pactolus illum fudit, aut Phœbi rotâ
    Coruscus abstersâ Tagus?
Frondens metallum nunquid Hesperiis malè
    Deripuit hortis Hercules?
Vel flavus Helles vector Æmonii tulit
    Ingens laboris præmium?
Mille an suorum delibutam cædibus
    Multoque rubram sanguine
America glebam misit; in propria heu! nimis
    Opulenta tellus funera?
Dic ipse sodes, Nume; nam te literæ
    Testantur haud fandi rudem:
Fortuna quæ te cepit; aut cujus viri
    Clarus nites imagine?
N. Sum FERDINANDI munus, undosum caput
    Cui Padera nascens subjicit:
Quem Dominum adorat Luppia, Amisus vovet
    Sibi destinatum Principem.
Illius ora gesto: nam vir aureus
    Effingi in auro debuit,
Sed innocente, labis & cunctæ integro,
    Suisque simili moribus.
Procul hinc Jovis dedecora, furtumque Herculis;
    Tinctumque parricidio,
Tædaque vellus Colchidis veneficæ
    Olim redemtum Iasoni;
Midæque crimen flumini infusum; & suo
    Pinguis cruore Mexica.
Me terra virgo sub serenis solibus
    Primoque cæli lumine
Parturiit; orbi cùm crearet auream
    Saturnus ætatem pater;

Cùm fulva campis surgeret passim seges,
Auróque fronderet nemus;
Fluviisque latè rutilus undaret liquor;
Nec invideretur Tagus.
Præferre bifrons Janus hinc voluit suos,
Deique vultus hospitis:
Longùm ut maneret sæculi cognominis
Impressa in auro gloria.
Per ora Regum deinde, perque Cæsarum
Superbus ivi stemmata;
Sua quos Olympo flammeis virtus rotis
Evexit ac fecit Deos.
Sic destinatam FERDINANDO bracteam
Fata excolebant provida;
Sic dedicabant. Ut pedo dignus forem,
Tot ferre sceptra debui.
P. O te beatum, Nume! cui formam viri
Simulare cælestis datum,
Et Vaticanæ par tiaræ parvulo
In orbe complecti caput.
Nec te caminis, credo, deflagrantibus
Fluxisse toties pœnitet;
Nec pertulisse ferreas Brontis manus,
Et malleos Steropis graves.
N. Doleantne verò, quæ mihi immensum decus
Pretiumque tulerint, vulnera?
Hac scilicet pensantur incudes bene,
Flammisque stridentes lacus,
Mercede. Cari ferre vultum Principis,
Constare caro par fuit.
P. Ergo alia, Nume, in ora te verti nefas,
Aliudve nomen indui.
Lamna illa fugiat Cæsarum effigies pati,
Quæ FERDINANDO serviit.
N. Et tu memento, qua decet, munus fide
Servare amici Præsulis:

Suſcepta nec enim ſponte paupertas vetat
Sacræ eſſe cuſtodem rei.



IN FONTEM DRIBURGICUM;
medicatis aquis nobilem,
CELSISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI PADERBORNENSIS EPISCOPI, &c.
Amore, munificentia, & verſibus nobiliorem.

ODE IV.

MONTIS filia Bructeri,
Quæ ferri medicis tincta ſaporibus
Iburgum vetus irrigas:
Languentes animos, ægraque temperans
Sanis corpora poculis,
Vi non Phillyridæ graminibus data.
Ut te gloria Naïadum,
Si fata annuerint, aſpiciam libens!
O! ut ſtratus amem tuæ
Conchæ margine, nunc ſutilibus ſacrum
Amplecti violis caput;
Nunc rivum croceis ungere odoribus;

Grato non ſine carmine,
Motis in numerum cui ſalias aquis.
Morborum mala te cohors,
Te longè pavido mors refugit pede.
Aſt infuſa tuo Salus,
Et felix Hygieia innatat alveo.
Vates quin etiam facis,
Inſtigaſque novo pectora numine:
Ex quo te bibit, & ſuis
Virtutem inſolitam cantibus addidit
FERNANDUS ſoboles Deûm.
Hinc plectri & fidium Torckius arbiter,
Auritas trahit ilices;
Nil mortale ſonans, dum paribus modis
Fert ad ſidera Principem,
Et rerum dominas concinit inſulas.
Hinc claro patre clarior,
Parnaſſi bifido vertice devocat
Muſas Heinſius, hoſpitis
Metatus ſtabilem Neuhuſii domum.
An dulcis quoque me furor
Inſuetum Aoniis miſcet oloribus:
Et plumas humeris leves,
Et vocem philomelæ adjicit æmulam?
Non te, candide Verjuſi,
O vitæ merito pars melior meæ,
Recluſo metuam æthere,
Sectari præeuntem. Ibimus, ibimus,
Quà divina Menagii
Ad ſanctos latices ſignat iter chelys.
Tu votum exolues memor:
Et promiſſa diu carmina divides.
At laurum ipſe feram manu,
Inſcriptam foliis nomen amabile
FERNANDI. Glacie hiſpidas
Ridens illa hyemes & rabidum canem,

Flores ambitiosior,
Fernandique decus perpetuum feret.
Levi cortice dein super,
Hos versus calamo scribam adamantino,
Mirans advena quos legat:
Si vos tangit honor carminis, aut salus;
Phoebi spernite flumina.
Iste majus eo Numen habent aquæ.



AD V. ILL.

J. DIONYSIUM DAULEDAM ESTONACIUM

SENATUS BURDIGALENSIS PRINCIPEM.

ODE V.

Ausonius Poëta Consularis amplissimam civi suo dignitatem gratulatus novos eidem honores auguratur.

Ut Fama Elysias domos
Venit, lætitiæ nuncia publicæ,
Centum vocibus ac tubis
Dauledam referens, Semideûm genus,
Francæ lumine purpuræ,
Supremisque togæ fulgere honoribus:
Manes Ausonius pios
Notum continuò sevocat in nemus,

[a] Rubris myrtus ubi comis
Servabat memores ſupplicii notas;
Ex quo, Cypride judice,
Egit ſæva reum turba Cupidinem,
Suffixitque cruci; ſua
Adſcripſiſſe Deo crimina geſtiens.
Adſunt undique Conſuli,
Evincti nitidum molli hedera caput
Vates, & choreas pede
Gaudent in numerum ducere libero.
Feſto præcipuè fremunt
Læti murmure, quos Burdigala artium
Mater nobilium tulit:
Paulini veteres, cognita non ſemel
Faſtis nomina Romulis:
Ætatiſque ſuæ juſta ſuperbia,
Aſtrææ ſoliti infulis
PONTACI Aoniam nectere lauream:
Et quotquot vetuit mori
Poſt buſtum & cinerem Muſa ſuperſtites.
Tum verò emeritas manu
Palmas concutiens, non ſine numine
Heros ſic canere incipit:
[b] Quo cantu Eridanus defluere immemor
Fontes continuit ſuos,
Et Lethe tacito reſtitit alveo.
Clararum decus urbium,
Quæ vinci indocilem Vaſconiam tuo
Regina imperio tenes,
Et terris pariter juraque das mari:
Nunc, ô patria, deſine
Faſces, & trabeas, & Jovis aureis

[a] *Vide Idyllium Auſonii, cui titulus eſt,* Cupido cruci affixus.
[b] *Æneid. l. 6. v. 659.*

Sellam curribus æmulam ;
Et gratæ, ſtatuas, præmia tibiæ
Mirari. Veteres recens
Laus quando titulos deterit, & prior
Magno ſurgit avo nepos.
At quamvis ferulæ ſubdita Cæſarum
Vidi ſceptra meæ : tamen
Haud ceſſiſſe pudet, dotibus ingenî
DAULEDÆ minimè parem.
Hic regum egregiis doctior artibus
Prolem fingere ; & arduum
Per virtutis iter non timidam ſequi,
Templo ſiſtere gloriæ,
Divorum pueros inter amabiles.
Hic ſancti vice Principis
Juſto fata virum examine pendere,
Vitæque ac necis arbitram
Inflexâ melior vertere dexterâ
Urnam, conſilio Patrum.
Felix ſorte ſua ! quem probat unicè
Expertus ſtudium ac fidem,
Et jam dignum aliis tollere deſtinat
LUDOVICUS honoribus.
Ergo turrigerum ſideribus caput
Nunc, ô Burdigala, inſere ;
Nunc non indecorem ſume ſuperbiam :
Una prole beatior,
Quàm quæ cincta ſuis Roma Catonibus
Se matri æquiparat Deûm.
Nos Vati interea purpureo juvat
Lætum plaudere, & aureæ
Deſponſum Themidi dicere Apollinem.
Sic fatus cecinit tubâ,
Et blandas digitis increpuit fides.
Quo ſigno Elyſii chorus
Omnis lenè fremit : nomen, & inclytum

Dauledæ recinens decus.
Dauledam litui, plectraque tibiæ
Permiſtis referunt ſonis:
Ingratoque diu muta ſilentio,
Echo carmen amabile
Tercentum geminat garrula vocibus.



AD

DIVAM CÆCILIAM.

STEPHANO DE FIEUX

ABBATE DE BELLOLOCO,

CANONICO ROTOMAGENSI, &c.

Muſicæ Societatis Principe & Agonotheta.

ODE VI.

Festo Cæciliam die
Votivis properat tollere honoribus
Supplex turba clientium:
Delectuſque ſacri rite Fieuxius,
Et certaminis arbiter;
Patronam ad numeros qui meliùs canent,
Ollis munera deſtinat,
Victricique parat cingere laurea.
Ergo ferte citi pedem
Vates, Harmoniæ non dubium genus,

Cæleste Aligerûm melos
Queis æquare datum cantibus æmulis.
Curvæ Diva lyræ potens,
Ventoſique animans blandiùs organi
Vocales digitis tubos,
Auctor carminis & materies erit.
Paretur : melicus puer
Dat ſignum liquido gutture temperans
Argutas citharæ fides :
Cui centum geminis vocibus adſonat
Concentu vario chorus,
Secum & diſſidio pugnat amabili.
Par cunctos animus rapit
Expertes thalami dicere nuptias,
Et lapſa æthere lilia,
Caſtarumque roſas præmia frontium,
Et pulcra nece Virginem
Immortale decus non timidam ſequi.
Te fratres duce, magna per
Magnas auſi animas ſpargere vulnera,
Cæli mœnibus inferunt
Palmas purpureo ſanguine lucidas :
Et victa Styge nobilem
Currum, Sancta, tuis auſpiciis agunt.
Nec ceſſiſſe pudet viros,
Et pompæ comites femineæ ingredi.
Tu Vatum columen ; tibi
Caſtè thure dato, non ſine floribus,
Dulci & carmine, ſupplicant ;
Accenduntque pias ad ſtatuam faces.
Sacris ô faveas tuis,
Præſenſque accipias vota ſodalium,
Sacramento amor & fides
Quos fecit proprios irrevocabili.
Sic ore unanimo chorus
Laudat Cæciliam. Cæciliam lyræ, &

Grato ſtridula flamine
Cannarum reſonat fuſilium ſeges.
Per templi laquearia
Per curvos geminat nomen amabile
Echo garrula fornices :
Et portare levi dat Zephyro procul
Magni dona FIEUXII,
Et famam celebrem trans mare barbarum,
Linguæ flumine lacteo
Quo vult cumque animos ducere callidi.
Promiſſum meritis pedum,
Cervicique leves cui feret infulas
Claro ſanguine clarior
Virtus, & pietas juncta modeſtiæ ;
Ni ſe relligio malè
Fraudare ipſa ſuis certet honoribus.

AD EAMDEM.

JOSEPHO FIGUIERIO CANONICO ET SUCCENTORE ECCLESIÆ ROTOMAGENSIS, Muſicæ Societatis Principe & Agonotheta.

ODE VII.

DESCENDE Olympo, & duc age candidis
Tecum quadrigis Cælituum choros,
O Diva, cui cantus, fideſque,
Et tremulis modulata ventis

Sunt æra cordi. Festa clientium
Te turma ad aras luce vocant suâ;
Pompaque solenni laborant
In numerum celebrare laudes.
Præit micanti FIGUERIUS manu
Arguta blandus tangere cymbala,
Auresque suspensas canoris,
Atque animos tenuisse chordis.
Rex ille sacri dictus & arbiter,
Donanda claris præmia Vatibus
Ostentat, & victrice frontes
Ardet ovans redimire lauru.
Jam tibiæ acres, & Berecynthiæ
Buxi, & remistæ cum citharis lyræ,
Vocemque crispantes ephebi,
Dulce melos bene temperato
Plausu remittunt. Par studium omnibus
Nuptam Tonanti dicere Virginem,
Sanctoque custodem pudori
Appositum, thalamisque castis,
Et missa Sponso lilia cœlibi,
Hortisque lapsas æthereis rosas,
Ad quarum odorem pulsa fugit
Corde Venus, Venerisque proles.
Nec clara fratrum prælia liquerint
Obliv so pressa silentio,
Palmasque, & æternos subactis
Numinibus, dominaque rerum
Româ, triumphos. Femina nobilis
Dux facti & auctor. nec puduit viros
Duram sub imbelli magistra
Sponte pati didicisse mortem.
Illa irretortis luminibus rogos,
Ferrumque, & omnes barbariæ trucis
Secura formas intueri, &
Carnificum potuit ferendo

Consumere iras. Sed neque vitreo
Splendore fortunæ, insidiantibus
Nec passa Sirenum illecebris
Pectora plena Deo moveri.
Divina Amazon! sic tibi laureis
Intexta semper lilia floreant,
Castique servatrix pudoris
Perpetuo rosa vere spiret;
Audi piorum vota sodalium,
Hoc & precanti, Cæcilia, annue;
Longos ut HARLÆO fruatur
Sospite FIGUERIUS per annos:
HARLÆO, amicum quem sibi Numina
Si dextra servent, non Phrygias opes,
Non sceptra, fortunamque Regum
Invideat pretiosiorem.



IN EAMDEM


ODE VIII.

ad modos musicos composita.

GRATUM sonantis Cæcilia organi
Docta vocales animare cannas,
Perque ære silvam fusilem
In numerum digitis concordes ducere ventos:
Interiore domus recessu
Secum pudicos ventilabat ignes,
Et virginales nuptias
Conjuge digna Deo canebat.

Custos pudoris Aliger sub alto
Lectas Olympi vertice fert rosas,
Liliaque puro pota nectare;
Queis amat castæ redimire crinem, &
Frontem verecundam puellæ.
Quin etiam pennis auras, ceu folle, ministrat:
Nec calamos sinit esse inertes,
His suam gaudens sociare vocem.
Quis tibi Valeriane stupor, quæve mens fuit,
Cùm procul ambrosiumque odorem,
Nataque sentires alieno tempore serta?
Humanoque prior cùm cupidis influeret sonus
Auribus, ora tamen fas non foret aspici loquentis?
Furens amoris œstro
Fidem exprobrare jam parabas proditam,
Læsaque connubii malè jura,
Illicitaque calens pectus face.
Sed pudor, & niveâ quæ plurima fronde sedebat
Virginitas, oculique decori,
Placavere animi tumentis æstum.
Sorte disce tamen frui invidenda:
Nulli, quod tibi, contigit
Habere rivalem Deum.
Non illum olore qui volans adultero,
Bove aut procaci mugiens,
Monstris Olympum Juppiter, criminibusque suis
Implesse terras dicitur.
Sed quem nescia fœderis jugalis
Purâ mater edidit alvo,
Antè jam Patri sine matre natum.
Hic sibi Cæciliam in connubia sempiterna quærit.
Ne tibi credas tamen esse raptam:
Felix amantes patitur Hymenæus duos.
O Hymen Hymenæe!
Fratris nomen juncture marito,
Sponsæ nomen juncture sorori;

Lecti dissocians fœdere conjuges,
Leti consocians munere virgines.
At vos Cæciliæ dicata cultu
Turma præcipuo; boni sodales,
Ne sinite præterire tam lætum diem.
Date flores, nectite serta,
Ferte faces, urite thura.
Agite, quatite cymbala tinnula,
Jungite lenibus organa tibiis,
Argutæ fidibus sibila tibiæ.
Alterno repetant musica gens ad numeros choro:
Nupsit Cæcilia, & Valerianum
Christo parturiens, funere nobili
Vitæ redonavit, beati
Perpetuum comitem triumphi.






PASCHALIS ANTIPHONÆ PARAPHRASIS

AD REL. V. D. J. B. PELLOT CARTUSIANUM.

ODE IX.

Regina cœli, LUCIDI regina potens Olympi :
Cui dies puros famulante curru
Sol agit, noctem rutilisq; e pingunt
Sidera flammis :
Lætare, Pectoris curas, age, pelle tristes,
Heu ! nimis longo saturata luctu :
Terge manantes lacrimis ocellos,
Oraque, Virgo.
Alleluia: Nunc sonent plausus, tenerisque amicum
Gaudiis carmen, citharæque dulces :
Nunc superfuso tibi corda inundet
Amne voluptas.
Quia quem meruisti portare, Alleluia, Ille, qui rerum genitus parente
Se tuam gaudet sobolem vocari,
Morte io ! pulsâ redit ad beatæ
Lumina vitæ.

Resurrexit Ille ferali trabe quem refixum
Sub cavo condi moribunda saxo
Videras, io! domito reportat
Dite triumphum.
Cerne, regali trabea renidens
Sicut dixit, Alleluia. Fulgure ut transit Zephyros curuli;
Seque miraclo probat esse Vatem
Judicem verum.
Ora pro nobis, Alleluia. I, pete amplexus, licitoque amori,
Mater, indulge. Sedem im tuorum
Sis memor, nec jam miseros clientes
Despice felix.



EIDEM.

BOMBYX

glomo suo se involvens,


CUM LEMMATE

IN OTIO NEGOTIUM.

ODE X.

MOLLIBUS in lucis vitam pertæsus inertem
Ingloriamque ducere:
Arboreasque super dedignans serpere frondes
Cum gente turpi vermium:
Carcere se pulcro condit, pretiosaque Bombyx
Sibi ipse nectit vincula.

Atque ibi ſecreto noctesque dieſque labori
Indulget opifex ſedulus :
Cumque ſuo, Reges olim tectura Deoſque,
Depectit ore vellera.
Sic opus in requie eſt, ſic olli abſolvitur ingens
IN OTIO NEGOTIVM.
Iſta animum, PELLOTE, tuum demonſtrat imago :
Hic intueri te licet.
Dum procul à rerum curis, aulæque tumultu
Deſerta ſilvarum incolis :
Dum Fortunæ apices, & honorum inſignia mille
Meliore calcas ambitu :
Dum ſponte æterno te denique carcere damnas
Multa obligatum compede :
Segnitiem ſtulti appellant : nos grande fatemur
IN OTIO NEGOTIVM.





PROSA PASCHALIS VERSIBUS REDDITA.

AD C. V. JAC. GAUDINUM. DOCTOREM ET SOCIUM SORBONICUM, CANONICUM PARISIENSEM.

ODE XI.

Victimæ Paschali laudes immolent Christiani.

Mundi victima quæ nefas,
Fortis pro misera gente necem pati,
Rivo sanguinis eluit;
Illi nunc placitam Christiadæ immolent
Puris cordibus hostiam:
Votivaque litent laudis adorea.
Io! carcere liberas

Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.

Prædonis Stygii victor agens oves
Agnus restituit gregi:
Offensumque reis flecteret ut Patrem,
Pœnas non sibi debitas
Christus sponte sua pertulit innocens.
Mirandi nova prælii

Mors & vita

Exurgit facies! Cuspide mors fera

duello conflixere mirando: dux vitæ mortuus regnat vivus.

Dum vitam insidians petit,
Dux vitæ moritur saucius: at sua
Factus clade animosior,
Mortem ictu perimit non medicabili.

Dic nobis, Maria, Quid vidisti in via?

Dic nobis age, Magdala:
Solis nam rutilum præveniens jubar
Sponsi relliquias tui
Ardebas liquidis ungere odoribus:
Quæ miracula cernere
Vadentem attonito lumine contigit?
Vidi rupe sub avia

Sepulcrum Christi viventis, & gloriam vidi resurgentis: Angelicos testes, sudarium & vestes.

Urnam virginei corporis hospitam,
Nunc partæ nece gloriæ
Æternum monumentum, & nihil aureis
Regum molibus invidens.
Tractavique manu lintea, fasciæ
Et textum revolubilis:
Lucem hausique novam, non sine Cælitū
Grato cum citharis choro,
Plaudentum meritis Regis honoribus.
Fidæ credite nunciæ,
Expertis oculis credite Magdalæ:
Spes & dulcis amor meus

Surrexit Christus spes mea: præcedet vos in Galilæam. Scimus Christum surrexisse à mortuis verè.

Debellato Erebo Christus ovans redît:
Et dudum Galilæa vos,
Amplecti cupidus, sevocat in juga.
Christo nos quoque nobilem
Gratamur memores de Styge lauream,
Victoremque fatemur; &
Curru colla juvat subdere amabili.

Tu nobis victor rex miserere.

Quòd si te qua clientium
Tangit cura, Deus; si neque gratiam
Sperare immiserabiles
Versa mente vetas: aurea da super,
Fracto servitii jugo,
Laudes usque tuas tollere sidera.




AD SERENISSIMUM PRINCIPEM

HENRICUM LOTHARINGIUM, HARCURIÆ COMITEM;

Cùm is Cadomense Societatis JESU Collegium inviseret.

ODE XII.

HENRICE, germen nobile Austrasiæ domus,
Regumque mille ac Cæsarum:
Omnes licèt stirps missa per mundi plagas,
In sceptra vivax pullulet;
Cunctasque ramis regias felicibus
Aut firmet, aut umbrâ tegat.
Attamen alîus gloria haud æquè tumet,
Tuo ac superbit nomine.
Clarusque venas sanguis ire per tuas,
Quàm facere Reges præferat.
Et quas Idume grandibus palmas avis,
Quas Sicula tellus protulit;
Gaudent tropæis obrui majoribus,
Tuisque vinci laureis.





AD EUMDEM.

ODE XIII.

SEMIDEÛM proles, vel quos Mars horridus armis
Bello feroces extulit,
Hostilisque moram toties dedit esse furoris,
Labantis & fulcrum Imperî :
Seu quos pax melior placitas instruxit ad artes,
Et profuturas civibus ;
Magnanimo inspirans aluit sub pectore curas,
Utriusque in ævi commodum.
Publica privatis si fas confundere jura,
Patriæque Musas jungere :
Quas tibi debemus communi nomine grates,
Privato amore solvimus.






AD VICTORIAM.

Cùm TURENNIUS fœderatos exercitus multis cladibus attritos ex Alſatia expuliſſet.

ODE XIV.

DIVA non mitis ſoboles Gradivi;
Quam juvant hoſtis pavor, & tumultus,
Et fuga, & latè calido natantes
Sanguine campi.
Nunc decet lauro religare crines,
Nunc & aurato volitare curru,
Quò vocat TURENNÎ honor, & decori
Pompa triumphi.
Ille fortunæ comitem ſecundæ
Te ſuis dudum reſidere caſtris
Juſſit; & verti celeres volenti
Abſcidit alas.
Teutonum victor triplici duello,
Te novis auctam celebrat tropæis,
Et ſacras Rheni ſub utraque ripa
Dedicat aras.





AD MUSAS.

Ut, relicto Parnasso, ad BAVILLAM Illustrissimi Viri GUILLELMI LAMONII Senatus Principis velint consistere.

ODE XV.

CASTUM Mnemosynæ genus
Nunc, ô Pierides, linquite barbaris
Polluta Ottomanis juga,
Captivosque lacus, & malè turbidam
Fletu Castaliam suo;
Et lauro viduum fatidica nemus.
Vos sedes melior vocat:
Vos luci virides, non sine frondium
Grato cum Zephyris joco,
Fractæque ad silices murmur aquæ, & sacri
Custos umbra silentii,
Invitant profugas. Sed neque patrii
Deerit culminis æmulus
a Mons, vobis geminum qui referat caput,
Et desiderium domus
Antiquæ, specie fallat amabili.
Fontem quin etiam alterum
Labentem Aonio flumine purius
Vobis LAMONIDES dicat;
Francæ LAMONIDES gloria purpuræ:

a *Mons S. Nicolai biceps.*

Libram cui Themis addidit,
Et vitæ dominas ac necis infulas.
Audimur : bijugis Deæ
Festinant Zephyris per liquidum æthera.
Has Vatum sequitur chorus,
Et qui Romulea ludere barbito ;
Et qui consociare amant
Argutas numeris Sequanicis fides.
Quos inter, viridi comam
Innectens hedera, carminibus suis
Saltantes trahit esculos
RAPINUS Calabro blandius alite.
Illum dulcis agit furor,
Et fontis decus, & nobile posteris
Nomen tradere sæculis,
Quo mutare suum filius ungulæ
Humor Pegaseæ velit.
Et me, LAMONIDE, nescio quid loqui
Vis præter solitum efficax
Urget. Jam videor non humili sono,
Cantator temerarius,
Laudes posse tuas dicere ; & inclytam
Prolis persimilis tibi
Versu perpetuo condere gloriam.
Sed miracula nunc sat est
BAVILLÆ celebrasse, atque novem juga
Consecrata Sororibus,
Et silvam Clarii Numinis hospitam.



AD

DOMINICUM BUHURSIUM S. J.

Elegantissimorum Eugenii & Aristi Colloquiorum Scriptorem.

ODE XVI.

Ne sit, Buhursi, magnanimo pudor
Vanum Cleanthen ferre silentio:
Tuaque ne digneris irâ
Pugnæ avidum juvenem superbæ.
Sic Africani rex nemoris leo,
Tauro paratis non furit unguibus
Imbellis in fetum capellæ,
Aut celerem dare terga damam.
Fortes repugnant fortibus. Æmuli
Contemtus indigni altiùs in jecur
Descendet, infigetque vulnus
Threïciâ meliùs sagittâ.
Urunt diserti munditiæ Eugenî
Gravisque amicis ah! nimiùm nitor.
Urunt Aristi sparsa blandis
Dicta jocis, lepidoque risu.
Hinc ille sacris invidiæ furor
Ardet libellis: par rabido cani
Qui latrat ad Lunam micantes
Indocilem cohibere currus.





A D
ANTONIUM
H A L L Æ U M
POETAM EXCELLENTEM.

ODE XVII.

HALLÆE Vatum maxime, quem ſinu
Matris cadentem Phœbus amantibus
Excepit ulnis, & decoro
Mollem animum calefecit igni:
Quò me avocatum ſenſibus abripis?
Seu te paterni criminis integros
Cantare conceptus; & anguis
Excidium celebrare gaudes,
Sub prima vitæ limina noxio
Mentes veneno tingere callidi;
Doctoque defunctum duello
Mille caput redimire lauris.
Seu garrientum, non levioribus
Modis, retractas carmina aëdonum,
Iraſque, gratos & furores,
Cantibus & mediis relictos
Non indecoro funere ſpiritus,
Vocemque vel poſt fata ſuperſtitem:
Tu fabuloſi vincis Orphei,
Judice me, teneros lepores.

Quanquam ille blandus tigribus asperis
Mollire tactâ pectora barbito :
Virtúque præreptos canendo,
Cautibus ingenerare sensus.
Et me eruditi gloria carminis,
Hallæe, mulcet. me juvat avios
Tentare Musarum recessus,
Te docilem moderante gressum.
Quòd si haud recusas me juvenem senex
Dixisse amicum ; pectore si sacro
Admittis : immortale nectar
Ducere cum Superis videbor.



AD

SANTOLIUM VICTORINUM.

Æterna esse præmia Poëtarum qui Latinè scribunt.

ODE XVIII.

Non, si carmina Gallicis
Aptè juncta modis, ingenî & artium
Idem cultor & arbiter,
Colbertus meritis muneribus fovet:
Romanæ, ut quereris, lyræ
Omnis continuò laus perit & decus,
Santoli. Neque præmia
Illum deficient, Virgilio duce,

Verſus perſimiles tuis
Quandoque Auſoniâ qui recinet tubâ.
Neſcis ut patrio novam
Sermoni faciem quæque ferat dies?
Nam quas nunc miserè anxius
Scriptor quærere amat delicias, brevì,
Uſus ſi volet inſolens,
Spretas rejiciet non ſine nauſea.
Ronsardus malè barbaro
Molles auriculas murmure vulnerat,
Dictus Pariſiæ pater
Linguæ. Quis modò non unius æſtimet
Aſſis, vendita millibus
Terderis opici carmina Portii?
Et jam, Perronide, jaces:
Jam, Malherba, tuos Sequana parciùs
Miratur numeros. Fugit
Laudatus populis Vetturium lepos:
Feſtino & nimiùm pede
Chartas Balzacii deſeruit Venus.
Sic mori placitum improbo
Faſtidire, ſemel quod placuit, diu.
At certus Latiis honos,
Et vani haud metuens tædia ſæculi,
Perſtat gratia Vatibus.
Vivet perpetui Muſa Sidronii,
Puro flumine purior:
Et qui nunc cithara provocat eſculis
Auditas Calabris fides;
Acri nunc lituo Mæoniden refert,
Felix ponere Wallius
Incano duplicem vertice lauream.
Rident ſole ſub aureo
Flores nigram hyemem, quos facili manu
Inſevit meus, & mero
Rapinus nitidos nectare perpluit.

Et te fama, RUÆE, anus
Tradet postgenitis, non humili pede
Persultantem Isalæ vada:
Dum cantu Batavos exagitas duces;
Et quos Rex gladio ferit,
Æterno calami figis acumine.
Nec te, FRIZO, sinet premi
Obscuro indecorem posteritas situ:
Cui si me ingenio parem
TURENNÎ annuerint dicere prælia, &
Rubros sanguine Belgico
Musæ BORBONIDAS: non aliis velim,
Obscæni fugiens lucri,
Ornari potiùs carmina præmiis.




IN
MARESIUM
POETAM
DITHYRAMBICUM.
ODE XIX.

NEMPE insolenti diximus licentia
Usum imperare vocibus;
Patriæque leges mobilem facundiæ,
Quas mox refigat, figere.
Non muto dictum. Me licet torvo minax
Vultu increpet MARESIUS,
Et dithyrambi laxet immeritum in caput
Vana ebriosi fulmina.

a Qualis profundo montis Aonii ſpecu
Effert AMIDORUS pedem;
Plenuſque Iacchi numine excordes agit
Furioſa in arma Mænadas:
Poëta ſic iratus, extra pulpitum,
Bacchatur hiſtrionicè:
Novamque demens, æmulis plaudentibus,
De ſe facit comœdiam.
Prohibete, Amici: ne quid invitos ſtilus
Peccare ſuadeat impotens.
Fatum Lycambæ nos manet funeſtius,
Triſtiſque leto Bupali.
Si furere pergat, proh nefas! MARESIUS
Ridendo nos coget mori.

a Vide Comœdiam Mareſii cui titulus, *Les Viſionnaires*, Act. 1. Sc. 2. ubi Amidorus ſic loquitur.
Je ſors des antres noirs du Mont Parnaſſien, &c.



AD LÆLIUM.


Ut ſpretis mortalibus ad æterna aſpiret.

ODE XX.

CUR vanis malè credulum
Irretire animum pergis amoribus,
Fortunæ toties fidem
Expertus nimiùm fallere lubricam?
Tandem deſine vitreâ
Inſanire Deâ: quam cupidè ſimul
Amplexaberis inſolens,
Mærebis laceras flebiliter manus.

Felix vulnere si tamen
Tantillo moritus, præcipiti caput
Fracturam tibi pondere
Maturè fugias. Hesperio licèt
Sublimis solio feras
In centum populos jura, nec unicus
Orbis te dominum colat;
LÆLI, degeneres: ni spatiosiùs
Regnare ambitio, & suæ
Par quæsisse decus certet origini.
Villæ culmina sordidæ
Mirari pudeat, quem socium Deus
Æterni vocat imperî,
Et sperare jubet sidereas domos:
Quò non pauperies gravis,
Non furum insidiæ, flammave Cæsarum
Formidata palatiis,
Non Martis penetrat barbarici furor.
Sed castis opulentia
Florens deliciis, & bona faustitas,
Et pax lætitiæ soror,
Mansurisque fruens gloria honoribus,
Et sincerus amor, chorum
Immortalem agitant, non sine gratiis.
Hanc, LÆLI, pete regiam,
Oblitus tugurî cui miser incubas:
Et Divûm propera genus,
Sceptrum deposito sumere sarculo.





AD
BERNARDUM
PIGNIUM
CANONICUM ET ARCHIDIACONUM ROTOMAGENSEM.

Ut in Tolemenilianam villam, quò condixerat, venire festinet.

ODE XXI.

RITU te quoque patrio
Perjurum esse juvat? nec metuis datæ
Ultores fidei Deos,
O caris nimiùm dure sodalibus!
Tandem desine tristium,
Quæ te angunt miserè, sollicitudinum:
Arcu dum bonus aureo
Luces purpureas sol jaculatur, &
Rubram uvis religans comam,
October tepidis certat Aprilibus.
Ridens Tolemenilii
Te, BERNARDE, nemus; pomaque frondeis
Matrum pendula brachiis;
Et junctæ violis, tempore non suo,
Absentem increpitant rosæ.
Sunt & parta tibi litore proximo

Succis ostrea mitibus,
Et grato sale, quæ restituant famem :
Insontisque cadus meri
Curarum omne genus diluere efficax.
Has ad delicias jubet
Pontina ut properes ; non muliebriter
Pindi scandere culmina, &
Virgo virgineas certa Deas sequi.
Cunctaris ? tibi tinnulas
Argutis digitis non quatiet fides.
Lascivoque agilis pede
Saltare in numerum Rossula, pro jocis
Latratus parat horridos ;
Et sævum femori dentem acuit tuo.




AD AMICOS
DE NIHILO
INTER SE JURGANTES.

Ut potiùs Regis optimi-maximi victorias celebrent.

ODE XXII.

NATIS amorem jungere litteris
Rixas, Sodales, sævaque jurgia
Miscetis, infandoque Musas
Dissidio facitis nocentes.
Paulumne inermis distat acinaci
Stilus cruento ? cur calami ferunt
Plagasque, cædesque, & venenum
Sarmaticis gravius sagittis ?

Indigna dudum tollite prælia,
Queis triste victum cedere, tristius
Exire victorem, & pudenda
Opprobrium meruisse lauru.
Non hos in usus ingenium Pater,
Mentemque divinam, osque dedit sono
Pari relaturum triumphos
BORBONIDUM, celebresque terra
Marique pugnas. Ut face Gallica
Charybdis ardens mugiit: ut rates,
Tiphymque latranti voravit
Scylla rapax Batavum profundo,
Vos & decorum pulvere Belgico
Cantare Regem non sine præmiis
Decebat, ereptumque Ibero
Bochanium, triplicique frustra
Condate fidens aggere: vos jugo, &
Suis superbam cladibus Ariam,
Pulsosque Trajecto Sicambros,
Dicere tempus erat, Ducemque
Non insuetum se melioribus
Servare fatis præcipiti fuga.
Hæc erudito par labori
Materies: venietque ab isto
Laus magna campo. Sit pudor æmulis
Præbere vestris ludibrium & jocos:
Dum scurra famosum inficetis
Carminibus memorat duellum,
Plaudente turba. Non ego nomini
Notas inuri, si sapiam, meo
Lætabor æternas, inanis
Gloriolæ pretiosus ultor.





LAUS EPISTOLÆ.

ODE XXIII.

CHARTA erudita, muta vox abſentium.
Mæſtique lingua pectoris :
Taciturne præco, quis te inaudito Deus
Sermone monſtravit loqui ?
Arcana pictis verba mittuntur ſonis,
Oculiſque, non auri, obſtrepunt.
O pulcra amantum copula, animos exules
Abſente jungens corpore !
Trans vaſta Ponti ſpatia, trans Solis vias
Curru feruntur candido.
Totum peragrant orbem, & immoti manent :
Centumque ſic per obices
Grata fruuntur mutui alloquii vice.
Vocem audiunt, os non vident.
Ni ficta Vates prædicant, veruſque amor,
Non fabuloſus ignis eſt :
Incendiis hæc præbet immortalibus
Perenne charta pabulum.
Materia flammas pura formoſas alit,
Nec ipſa flammis carpitur.





IN OBITUM GABRIELIS COSSARTII S. J.

COSSARTIUS admonet amicos ne lugeant.

ODE XXIV.

NE mihi, ne gemitu indigno turbate quietem:
Tumulumque mæstis irrigare fletibus
Desinite, ô Vates. Nec enim, si vestra dolorem
Cohibere pietas renuit, & constans amor;
Nostra etiam tristes patitur fortuna querelas,
Planctusque recipit obligatos funeri.
Vivimus; & spolium de corpore mors habet uno:
Quod amastis in me, quod fui Cossartius,
Non rapuit. Manet ingenium post fata superstes;
Animusque veri cupidus & recti tenax.
Quam juvat immoto gaudentem insistere recto;
Nescire vestræ sortis ingratas vices:
Et dubiam, celeremque humano pectore labi,
Non posse morum perdere innocentiam!
Quàm dulce est sine nube ipsum deprendere verum,
Mundique causas fonte mirari in suo;
Æternamque sitim æterno restinguere potu
Sese fruendum largientis Numinis!
Hîc legere, inque uno fas omnia discere Verbo.
Et quod librorum tot mihi volumina,

Tot fando nunquam potuere evolvere linguæ;
Sine voce reserat eloquens silentium.
Discendi labor omnis abest: infusaque menti
Oblivionem non timet scientia.
Cumque olim innumeris confuderit ora loquelis
Mortalium audax scandere in cælum furor;
Sermo unus placuit Superis; & fœdere pulcro
Conjungit idem pectora & linguas amor.
Hic & Concilia & cœtus spectare piorum
Meo adsidentem LABBEO demum licet;
Et conjuratos Christum defendere Patres:
Seu voce dimicandum & ardenti stilo;
Sive Fides sparso fuit obsignanda cruore.
Hos multiformis error, & fœdam aspici
Hæresis obvelans faciem, gremiumque Parentis
Discerpere atrox Schisma, pellaci & manu
Jucundum Novitas dociiis miscere venenum,
Horrent: metuque sub Styga occultant caput.
a Me quoque pars tanti spectat nonnulla triumphi;
Calamoque & ore vindicasse Cælites,
Ingens nunc pretium, mercesque refertur Olympo.
Vati rependit VECHIUS grates suo;
Atque immortales dat circum tempora lauros,
Sacro coronam delibutam sanguine.
Auratisque adeo tecum, FRANCISCE, quadrigis,
Memor dicati carminis, Solem super,
Stellarumque domos lætantem tollis. Averni
Seu cùm revisis Japonem ereptum jugo,
Et tandem edoctos Christo succumbere Sinas:
Seu templa crebrâ supplicum excitus prece
Ingrederis, toto quæ plurima condidit orbe,
Tuoque pietas consecravit nomini.
Sunt etiam nobis, ut quondam, nunc quoque cordi
Versusque, tibiæque, & argutis fides

a Opera Cossartii designantur.

In numerum pulsæ digitis. Rapit entheus ardor
Animos volentes : & disertæ carmina,
Inspirante Deo, fundunt ex tempore linguæ :
Queis aula Cæli plaudit, & Superûm chorus.
Mirando favet omnis. Et est audire voluptas,
Non fabulosi vana Pindi somnia,
Graiorumque efficta modis mendacia miris;
Non additum aris atque adoratum nefas :
Sed cantus sacros, quibus est Deus argumentum
Ingens, perenne, nescium fastidii,
Usque placens : quod nec cantu exhaurire facultas,
Cultu nec ullo majus efficere ingenî.
O utinam spreto famæ popularis amore,
Aulæque nimiùm lubricis favoribus,
Materies vestri posthac sit carminis, unus
Dignum labori redditurus præmium,
Terrarum Cælique Pater ! cui dextra creatrix
Cùm promat ultro, quas det immensas opes,
Ipse suis gestit sese superaddere donis.
Hac sorte lætus, his bonis circumfluens,
Non merui injusto causam tribuisse dolori.
Amici amico sicne felici invident ?
Gratari potiùs, decorique applaudere nostro
Fides monebat. Cur inanes lacrimas
Perditis ? Ah ! ne flete paterna in regna receptum ;
Sed flete vestrum tamdiu exilium trahi.





AD

FONTEM POLYCRENEN


BAVILLÆO IN AGRO

AQUARUM COPIA NOBILEM.

ODE XXV.

O Fons, ocelle ruris atque uber tui!
Heri ô voluptas innocens!
Tuamne certem pauperis venâ ingenî
Æquare Vates copiam?
Cui par nec ille fuerit Aonios liquor
Movere cantus efficax:
Nec quæ Sicano lympha servatur mari,
Fluvium procacem dum fugit.
Non te superbo Parius hinc ambit lapis;
Hinc concha dives margine.
Non alta Regum tecta, picto in alveo
Tumidus videri, perfluis.
Sed musco, & udo gramine agrestem paras
Tibi ipse thalamum rusticus;
Et inter umbras, atque operta vallium,
Vitreo fugax curris pede.
At ne pudori sit tamen, quòd nil manus
Tibi fabra cultûs addidit.
Caduca dos est artis: æternus manet,
Crescitque naturæ decor.
Sorte ô tua beate! LAMONIDÆ places:
Hunc nuda simplicitas capit.
Fuci animus expers scilicet mores suos
In te intuetur & probat.

Ac nunc in undis lenè decurrentibus,
Placidoque fusis agmine;
Siticulosis, specimen eloquii exhibes,
Blandè influentis auribus.
Nunc liberalem pingis, & avaras opes
Sibi retinere nescium:
Seu cùm ardet æstas, fers bonus violis opem,
Herbisque supplicantibus;
Seu vitæ egentes populos felicibus
Rigando lymphis recreas.
Nec te rapacis more torrentis juvat
Latè ruinis crescere:
Corripere messes, nemora, cumque ovilibus
Ipsas colonorum domos.
Herum æmularis nempe; quem nulli gravem,
Cuncti benignum sentiunt.
Hunc ipse sentis, quando reclinans caput
Amatæ in oræ gramine,
Æstum liquore temperat gelido, & suis
Te consecrat sudoribus.
Trepidæ laborant undæ, & alternis manus
Gaudent adorare osculis.
Justâ hinc tumentes se ferunt superbiâ,
Dulcique plenæ imagine,
Monti obviisque vallibus LAMONIUM
Fluctu loquuntur garrulo.
Jure ergo, Fons venuste, delicias suas,
Suosque amores te vocat.
Teque Polycrenen jure dici vult, novo
Plaudente fama nomini.
Quòd si futuri certa mens rite augurat,
Inestque numen Vatibus;
Olim Hippocrenen occupatam barbaris
Meliore reddes omine.
Phœbo & relicto, sacra Musarum cohors
Unum colet LAMONIUM.



IMAGO
V. CL. JOANNIS
VERJUSII,
POST EJUS MORTEM,
novo amoris miraculo
AD VIVUM EXPRESSA.
ODE XXVI.

BREVI in tabella qui sibi superstitem
Spirare VERJUSIUM stupes;
Et ore speras posse vel picto loqui:
Mortale ne credas opus.
Restituit ars divina cælestem virum,
Acerbo ademtum funere.
Sibique tanti debitam miraculi
Amor ipse jactat gloriam.
Nil fabulosum canimus, haud fuco indiget
Placitura per se veritas.
Raptum in juventa columen antiquæ domus,
Patriæque sidus Galliæ,
Lutetia flebat: flebat Aonidum cohors,
Passisque Charites crinibus.

Et

Et vos, paterno quos fides conjunxerat
Pietaſque meliùs ſanguine,
Luctu ac querelis ponere haud ullum dolor
Sinebat immenſus modum.
Fuiſſet aliquod funeris ſolatium,
Ductos fideli imagine
Spectare vultus fratris, inque linteo
Vitam tueri poſthumam.
Sed & hoc vetabat invidæ ſortis rigor:
Vis quippe febris horridæ,
Et longa tabes antè VERJUSIUM ſibi,
Quàm mors ſuis, ſubduxerat.
Nec ſi obſtinet divina POSSINI manus,
BRUNIQUE par ſuperis labor;
Formam queant referre: ſuppoſtam putes
Suo eſſe larvam corpori.
Tantumne Lacheſi barbaræ in Vates licet
Æternitatis arbitros?
Morietur ergo totus, arte qui ſua
Tot vetuit Heroas mori?
Prohibete, Muſæ: tuque fatorum potens
Rebus ades extremis Amor.
Caſto puellæ nobilis ſub pectore
Flammas alebat innocens
Amor innocentes: atque patruelis genas,
Et ora vivis æmula,
In mente memori, nil egens coloribus,
Telo micante pinxerat.
Gaudet dies noctesque jucunda frui
Pudica virgo imagine.
Audit monentem, corda mortalis proci
Indigna votis cedere,
Non deſituris conſecrare ardoribus,
Deumque malle conjugem.
Audit, videtque. Sed quem & audit, & videt,
Rudine pinget dextera?

Ingenium amantes majus humano gerunt,
    Fatique vim ſolertia
Docuere vinci. Laude picturæ inclytum,
    Et penicilli gloria,
Puella juvenem ſevocans, Nobis tuos
    Pauliſper, inquit, commoda,
Pictor, colores, & manus induſtriam:
    Socium laboris te volo:
Quem fama ſeris cùm canet nepotibus,
    Ægrè fidem merebitur.
Inſtituit hinc dictare quo ſit ambitu
    Filove ducendum caput:
Ut frons decenter prominens certum gerat
    Latentis indicium ingenî.
VERJUSIUS ora ſic tulit: ſic dulcibus
    Micuere flammis lumina:
Sic virginales gratiæ junctus pudor
    Rubore ſuffudit genas.
Dictata pictor aure dum intenta excipit,
    Sequiturque felici manu:
Natum eſt opus, quod neuter aſſignat ſibi,
    Uterque perfectum ſtupet.





IN
REGEM
VICTOREM PACIFICUM.

ODE XXVII.

QUALIS Arverno nivibus solutis
Monte decurrit Liger; & superbo
Obvias moles, dubiæque claustra
Addita ripæ,
Emovens cornu, dat agris ruinam,
Cum suis raptat segetes colonis:
Et gravi fluctu, propè par, Britannum
Fertur in æquor.
Mox fluit, noto patiens teneri
Alveo, felix: strepitumque gaudet
Inter umbrosas salices jocosâ
Edere lymphâ.
Talis adversas LODOICUS armis,
Quà vocat Mavors, ruit in phalanges:
Seu reus pacis meruit solutæ
Celtiber iram:
Seu luit pœnas Batavus, sinistro
Quàm vafer Reges sociare bello,
Tam fidem adversâ levis obligatam
Rumpere famâ.


Sive Triboccis [a] Alamannus acer
Ultimam cladem meditatus agris,
Turbido lætantem equitem rapinis
Egit ab Iſtro.
Quæ tuum virtus potuit morari
Impetum ? vel quæ timuit pericla,
Sueta Bellonæ, duce te, labori,
MAGNE, juventus.
Horruit glauco Vahalis fluento,
Pontibus ſpretis, equitare Francos:
Et ſibi per mille neces decoram
Quærere laurum.
Si jubes, ibunt rigidæ Pyrenes
Trans juga, æternis malè tuta brumis,
Dirutum noſtris ſpoliis ſuperbi
Tecta [b] PHILIPPI.
Ponis at ferrum prior, imbuendum
Barbaro Thracis meliùs cruore:
Et jubens pacem, vetito perire
Conſulis hoſti.
Macte: plus iſto referes triumpho
Gloriæ, quàm ſi Calabro ſubactum
Inſubrem jungas: dominumque Bætis
Servus adoret.
Jam tuæ pacis comites reviſunt
Candidis lætos populos quadrigis,
Et Fides, & Fas, placidiſque amicæ
Urbibus Artes.
Surgit & priſco mage dives auro
Galliæ ſæclum: nec [c] Avi ſupremis,
Te ſui curſum moderante fati,
Invidet annis.


a Tribocci Alſatiæ populi.

b Eſcuriale manubiis Gallorum pugnâ Quintinianâ cæſorum extruxit Philippus II.

c Ultimis Henrici Magni annis felicitas Galliæ ſumma.

En erit, Cives ut in una rurſum
Sacra conjurent bene fœderati!
Gallus & Romam veneretur omnis,
Principe Magno.
Sic erit. Blandam nec enim rebelles
Stare vim contra liceat: ſed ultro
Se volent Regis decus addidiſſe
Grande tropæis.
Summe terrarum pelagique Rector,
Vota ſi quicquam meruere, ſerves
Hoc diu nobis caput, unde rerum
Speſque ſaluſque
Unicè pendent. Vigeat quietis
Auctor Europæ datus atque cuſtos:
Nec priùs mundo ſuperas relicto
Migret in arces:
Quàm pari virtute ſuos prementem
Filium greſſus videat: novaque
Patris exemplis monitos Nepotes
Creſcere laude.






DE NICOL. HEINSII MORTE.

AD CL. V. JOANNEM GEORGIUM GRÆVIUM.

ODE XXVIII.

QUisquamne, Grævi, curet Apollinem
Placare votis? occidit, occidit
Heu! quando Musarum Sacerdos
Heinsiades melior parente.
Vetusta quamvis Græcia cantibus
Flexisse manes prædicet Orphea;
Caramque vitales sub auras
Eurydicen revocasse, fato
Gaudente vinci: non tamen eximes
Sepulcro amicum. nec gelidæ tuis
Olim reviviscent favillæ
Questibus, immodicoque fletu.
Injurioso nomen amabile,
Quod restat unum, deme silentio:
Terrasque da famam per omnes
Perpetuâ volitare pennâ.

Dic ut paternarum æmulus artium
Lectis revinxit tempora laureis:
Summosque Parnassi est honores
De tenero meditatus ungui.
Dic ut Maronem, sordibus oblitum
Fœdis, nitori restituit suo:
Raptosque Peligno lepores
Reddidit, ingeniumque Vati.
Immo hæc remittas dicere publico
Vulgata plausu. Quæ regio, aut mare
Vestris inaccessum carinis
Nesciat HEINSIADÆ labores?
Hunc fabulosi litora Baltici,
Albisque, & udum Saxoniæ latus,
Et, regna FERNANDI, beatæ
Amisii Paderæque valles
Novere. Novit bellipotens Gothus,
Et qui rigentem in pocula Moscuam
Frangit bipenni; vimque linguæ
Flexanimam stupuit disertæ.
Quin ipsa felix ingenium haud semel
Mirata Roma est: & Batavum suis
Optavit adscribi Quiritem
Civibus, ac populo Gradivi.
Nec ferre Olympo, Mercurialium
Cultrix virorum, Gallia destitit;
Dum vita cum cantu maneret:
Nunc eadem tumulo repostum
Te flore multo, non sine lacrimis,
Honorat, HEINSI: mox aliam jubens
Sperare vitam de suorum
Munere, carminibusque Vatum.





D. ANTONIO OLYSSIPONENSI, PATAVINORUM PATRONO,

Pro recuperatis ejus beneficio ſacris reliquiis,

VOTUM.

ODE XXIX.

NAM quo munere dein reum
Voti me redimam ? cui neque gratias
Exæquare tuis licet,
ANTONI, meritis ; & pudor eſt mori
Ingratum ! Date lilia, &
Natas ſub Zephyrorum halitibus roſas :
Dereptoſque comæ citri
Flores gelſeminis jungite olentibus.
Nec fumare focis ſacer
Thuris deſit odor : neu liquidum diem
Parcant condere lampades
Guttis Aſſyrii corticis ebriæ.
At vos, cymbala queis datum,

Et blandas moderari in numerum fides,
 Mecum, non humili modo,
Decantate Virum Cælitibus parem.
 Ut, per [a] Barbarici maris
Syrtes & ſcopulos, nobile quæſiit
 Mauro funus acinace,
Chriſto totum avidus ſpargere ſanguinem.
 Ut ſancti Patris æmulus
Intactis Arabum pauperiem horridam
 Theſauris bene prætulit:
Et veſtem laceram, textaque duriter
 Tortâ cingula cannabe,
Præ Regum trabeis ambiit aureis.
 Illi, corda nocentium
Obdurata diu dum gravis eloquî
 Non vano tonitru quatit,
Pœnarumque metus aggerat & minas,
 Feſtis motibus haud ſemel
Applauſiſſe ferunt ſquamigeros [b] greges;
 Facundeque ſilentio
Teſtatos animi lætitiam ſui.
 [c] Excors quin etiam pecus
Cruſti triticea ſub ſpecie latens
 Senſit Numen; & impiæ
Gentis corripuit perfidiam, ſolo
 Flexo ſuppliciter genu,
Inſanis dominis relligioſior.
 Te regalis Olyſſipo
Gaudet cive; ſuum te Patavî memor
 Urbs jactat vetus hoſpitem;
Fidens præſidiis utraque ſic tuis,
 Ut non ambitioſiùs

a In Africam trajecit incenſus cupiditate martyrii.
b Piſces ejus concionantis oratione quaſi deliniti exultant.
c Hæretici hominis mulus SS. Euchariſtiam ipſo jubente adorat.

Auctores generis, hæc Priameïo
Clarum [d] Antenora ſanguine,
Teucris illa gravem cantet [d] Ulyſſea.
Tu ſpes ultima [e] naufragæ
Et tutela rati. Tu media è nece
[e] Inſontes bonus eripis.
Nec ſentire ſuæ [e] damna ſinis rei,
Utcumque haud timida cliens
Votivum petiit auxilium prece.
Teſtis, quæ Crucis aſſulam,
Noſtras Pyxis opes, exiguam ſacræ
Servat, reddita munere
Nobis, SANCTE, tuo plus vice ſimplici.
Has, quæſo, memoris notas
Qualeſcumque animi, quando aliud nihil
Quod donem ſuperat, cape.
Neve inter radios, qui tibi lucido
Ornant circuitu caput,
Dedignare levem ſerpere lauream.

d Antenor Patavium, Ulyſſes Olyſſiponem, condidiſſe feruntur.

e Invocatur à naufragis, ab innocentibus oppreſſis, ab iis qui rei alicujus jacturam fecere.





IN PSALMUM I. PARAPHRASIS,

ODE XXX.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit : & in cathedra pestilentiæ non sedit

BEATUS ille qui sequi nocentium
Consilia fugiens impia,
Per infideles criminum flexo vias
Nunquam deerravit pede :
Nec de cathedra pestilente, callidus
Erroris & fraudum artifex,
Condîta dulcis eloquî melle auribus
Sparsit venena credulis.

Sed in lege Domini voluntas ejus : & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Sed in Tonantis lege delicias suas,
Suam esse fassus gloriam ;
Hanc mente pernox, hanc volutat perdius,
Somni atque victus immemor.

Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum : quod fructum suum dabit in tempore suo :
Et folium ejus non defluet.

Ceu propter amnis arbor irrigui alveum
Se læta in auras subjicit :
Et mitia ferens poma pensat annuo
Domini labores fœnore :
Nec sole virides mæret æstivo comas,
Nec torrido labi gelu.

Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.

Haud aliter ille cuncta gaudebit sibi
Cursu evenire prospero.

Non sic impii, non sic.

Vesana non sic turba, quæ nullum colit,
Vel, quem colit, fingit Deum.

Sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.

Sed, ut protervo pulvis actus turbine,
Ludibrium cælo dabit.

Ideo non resurgent impii in judicio.

Ergo curuli è nube quum mundi Arbiter
Facta arguet mortalium,
Non ftare corã, non metu pulfo improbi
Attollere audebunt caput.

Neque peccatores in concilio justorum.

Nec fas erit fperare cum juftis reos
Vitæ beatæ præmia. [via eft,

Quoniam novit Dominus viam justorum.

Procul à periclis, quam boni infiftunt,
Præbente fe ducem Deo.

Et iter impiorum peribit.

At quò feruntur impii fecuriùs,
Hòc graviùs in præceps ruent.





AFFECTUS DUORUM CHRISTI AMANTIUM,

Quorum alter ejus ad Cunas, Alter ad Crucem piè ſuſpirat.

ODE XXXI.

I. Quum te Virginis in ſinu
Lucentem nitido ſidere puriùs;
Et riſus, & amabiles
Cerno blanditias, preſſaque molliter
Infantilibus ubera
Palmis, æthereo turgida nectare:
Ah! mens ebria gaudio
Extra ſe rapitur. nec jam aliis frui
Cæli deliciis amem,
Te viſo, Superis, Christe, beatior.

II. Quum te cerno trabalibus
Clavis, funerea de Cruce pendulum,
Et tabo faciem oblitam,
Et ſpinis lacerum vulnificis caput;

Errantemque animam labris,
Et jam nocte oculos in media graves:
Ah! mentem dolor opprimit.
Auctorque ipse tuæ non dubius necis,
Tristi, CHRISTE, silentio
Nil quæro nisi tecum & gemere & pati.

I. QUANDO Sol roseo diem
Auroræ gremio prosiliens refert;
Ridet per liquidum aëra,
Index lætitiæ grata serenitas.
Ludit sub Zephyris mare:
Tellus picta sinum flore micat novo:
Motisque ad numeros comis,
Silvæ lenè avium cantibus obstrepunt.
Et, dum infans oritur Deus,
Castis nostra vacant pectora gaudiis!

II. QUANDO Sol medio æthere
Languens, attonitum destituit diem;
Defectu subito anxia
Stat Natura, vetus ceu redeat chaos.
Trux plangit scopulos mare:
Tellus nuda suis squalet honoribus;
Ipsæque exanimes metu
Lugubrem per agros dant gemitum feræ.
Et, dum insons moritur Deus,
Justis nostra carent lumina lacrimis!

I. O lactens Deus! ô Amor!
Quos ignes gelido stramine suscitas?

II. O languens Deus! ô Amor!
Quas plagas rigidis vepribus incutis?

I. DA lac ſugere, vel ſemel,
Tecum virgineo matris ab ubere.

II. DA, da lambere ſæpius
Fuſum de lateris vulnere ſanguinem.

I. SORTEM fingere ſi meo
Felicem arbitrio ſit licitum mihi:
Cunas, SANCTE PUER, tuas
Optem perpetuis atterere oſculis.


II. FATUM condere ſi meo
Felix arbitrio ſit licitum mihi:
Optem, CHRISTE, tuæ Crucis
Amplexu, lacrimis plenus, inemori.


IN COLUMBAS QUAS BEATA VIRGO in Templo obtulit.

ODE XXXII.

O Par volantum nobile! Filio
Quas rite Virgo ſubſtituit parens,
Injurioſa deſtinato
Cæde nefas hominum piare;

Cùm sanguis olim largior affluet
Venis, & artus vulneribùs dabit
Aptos ferendis major ætas,
Atque animam diuturnioris
Leti capacem. Vos manet interim,
JESU redemto, grandis honos mori; &
Solvisse votis obligatam
Sponte dato MARIAM cruore.
Ecquis beato, si liceat, foco
Uri recuset? ut subeam libens
Vestras vices addictus aræ
Victima cuncta regentis Agni.
Dulces Columbæ, judice me, parem
Non illa vobis se tulerit, Noæ
Pacalem olivam quæ reportans
Augurium melioris ævi
Visa est per auras, non sine plurimo
Dedisse plausu. Carminibus tamen
Vos fabulosis inter astra
Abnuerim retulisse Vates.
Quamvis Oloris sidus adulteri,
Corvumque, & Argi centum oculis gravem
Insana Pavonem vetustas
Gaudeat imposuisse cælo.
Sat est, protervæ nunc Veneris jugo
Demtas pudendo, Virginis Alites
Audire; cantarique puro,
Me præeunte, sacras Amori.





ANTIPHONÆ
SALVE REGINA
PARAPHRASIS.
ODE XXXIII.

Salve Regina,

O Quæ Tonanti proxima honoribus,
Cælũque, terrasque imperio tenes:
Terrore cui diro subacti
Ipsa domus famulatur Orci,

Mater misericordiæ, vita, dulcedo & spes nostra, salve.

REGINA, salve. Tu miseris Deum
Blanda minacem concilias prece.
Tu vita, tu dulcis voluptas,
Rebus & una fides in arctis.

Ad te clamamus exules filii Evæ.

Tibi supinas suppliciter manus
Clamore magno tendimus exules,
Heu! mæsta proles sontis Evæ,
Atque nefas luitura matris:

Ad te suspiramus gementes & flentes, in hac lacrimarum valle.

Ni lacrimarum protinus horrida
In valle flentes, nos bona respicis:
Ruptamque singultu frequenti
Excipis aure pia querelam.

Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.

Nunc ergo lenes, nec miserescere
Segnes ocellos, DIVA, clientium
Adverte turbæ, te Patronam,
Te facilem Dominam vocanti.

Et Jesum benedictum, fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.
O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

Sed ne recusa, quod potes unice,
Intaminati florem uteri, solo
Nobis relicto, jam beatis
Ætheriaque domo receptis,
Monstrare Jesum. Te, vice mutua,
Semper benignam, semper amabilem,
Maria Virgo, parturisse
Digna Deum, memores canemus.



HYMNI
AVE MARIS STELLA
PARAPHRASIS.
ODE XXXIV.

Ave maris stella, Dei mater alma, Atque semper virgo, Felix cæli porta.

Naufragi felix Cynosura mundi,
Quæ Deum gaudes peperisse virgo,
Non priùs junctos socians pudori
Matris honores.
Exulum tu quæ miserata sortem,
Sedibus lætos patriis reponis,
Digna pro tali merito vocari
Janua cæli.

Sumens illud Ave Gabrielis ore,

Quam tibi fausto tulit ore quondam,
Fidus interpres Gabriel Tonantis:
Ne veta dulci renovare cantu,
Diva, salutem.

Funda nos in pace, Mutans Evæ nomen.

Hoc Ave dum nos canimus, sequestrã
Esse te pacis veniæque discas:
Hoc Ave, fato meliore, nomen
Corrigat Evæ.

Solve vincla reis, Profer lumen cæcis, Mala nostra pelle, Bona cuncta posce.

Sontibus mæstis, age, deme vincla,
Et suas cæcis tenebras: malique
Dic metu pulso, veniat bonorum
Copia dives.

Monstra te esse Matrem, Sumat per te preces,

Scilicet mentem, tenerumque Matris
Indui pectus decet in clientes:
His decet CHRISTUM prece demereri
Imperiosa:

Qui pro nobis natus, Tulit esse tuus.

Qui satus lucis radio paternæ
Orbis ut commune nefas piaret,
Conditor rerum tua non refugit
Esse propago.

Virgo singularis, Inter omnes mitis,

Virgo cui par est nihil aut secundum;
Omne quam terræ latus experitur
Unicè lenem; placidas pudico
Corpore mentes,

Nos culpis solutos, Mites fac & castos.


Fac tui, nexu scelerum soluti,
Ut gerant: molles nec eis cupido
Igne succendat vetito medullas,
Iraque tristis.

Vitam præsta puram, Iter para tutum, Ut videntes JESUM Semper collætemur.

Da dies labi sine nube puros:
Da poli sternens iter, ad beatos
Filii amplexus, & amæna lucis
Tendere regna.

Sit laus Deo Patri, Summo Christo decus, Spiritui sancto, Tribus honor unus.

Patris ac Nati recinendo laudes,
Mutuum linguæ celebrent Amorem:
Omnis & mundi plaga tres in uno
Numine adoret.





IN

CL. V. PETRI DANIELIS HUETII

SUESSIONUM EPISCOPI DESIGNATI

ALNETANA TEMPE.

ODE XXXV.

SOPHOCLEO grave suetus modulari
Pede carmen; meditor non bene notis
Numeris subsilientes imitari satyriscos.
Ades ergo jocularis Dea cantus:
Crotalum sume; relicto rude plectro
Cape buxum, quate, Clio, celeri tympana dextra.
Age gratos, DANIELI cane versus.
Juvat illo duce campos, juvat atrum
Nemus umbris, juga, ripas, nova Tempe, peragrare:
Ubi vitro mage tersus remorantes
Udo subter strepit alnos: ubi circùm
Humus omnis geniali Zephyrorum tepet aura.
Nebularum sub aprico Jove purus,
Neque nimbis orientis madet Hœdi,
Neque sævæ rubet æther violento Canis igne.
Sed amico fovet haustu latus ægrum,
Animosque studiorum nimis acri
Levat æstu: simul omnes removet pectore curas.

O amæni nitor agri ! Cereris pro-
diga tellus ! genitrici ſacra florum,
Bona pacis ; juvenilis bona ſedes Hygieiæ.
Et Apollo ſolet illis reſidere
Pater antris. Tremor en concutit artus :
Nova virtus meliori cor anhelum ciet œſtro.
Deus io ! ſub Hueti Deus ore
In amatas venit oras : Dryadumque
Salientum numeroſa fide ſilvis trahit agmen.
Minùs iſtis Aganippes colit undas.
Fugiens & juga Pindi tibi plectrum,
Sacra vallis, tibi lauros, tibi ſortes dat habere.



ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

FRANC. HARLÆO

PARIS. ARCHIEPISCOPO,


PARI FRANCIÆ, &c.

Cùm is ad funebrem Reginæ Orationem veniſſet.

ODE XXXV.

CREDETNE quiſquam ? mille votorum ambitu
Petitus Antiſtes venis :
Gratoque tandem nunc & aſpectu licet
Muſas, & affatu frui.

Haud ulla ſolitæ ſigna lætitiæ tamen
Dedere monte de ſuo.
Sed ubique ſqualor, luctus, & ſuſpiriis
Mæſtum viget ſilentium.
Nec flere pudor eſt, induunt ſenſus tuos:
Hoc plus tibi cultu placent.
THERESIA, dulce ah! nomen, & ſub intimis
Ab amore ſculptum cordibus!
THERESIA Magno digna conjux Conjuge,
Quæ debuit numquam mori,
Tuos ſub oculos, & pias inter preces,
Mortale corpus exuit.
Hæc cogitanti lacrimæ tibi fluunt;
Ægreſcit at nobis dolor.
Tuoque noſter auctior luctus negat
Tacere poſſe, vel loqui.



AD SOMNUM.

ODE XXXVII.

SOMNE, curarum requies, veneno
Efficax dulci reparare vires;
Quas dies ſenſim minuit laborum
Anxia nutrix:
Cur meo, cur ah! procul è cubili
Avolas verſis fugitive pennis?
Integras damnans vigilare mæſtum,
Te ſine, noctes.
Luna ter cælo revoluta clarum
Extulit cornu: tua cùm per umbras
Dona nequicquam videt inquietis
Poſcere votis.

Fauſtus ô tandem redeas : & udum
Rore lethæo quatiens papaver,
Ne Deus noſtros, tua templa, ocellos
Viſere differ.
En tibi preſſo ſilet ore lucis
Nuncius : ſtrati ſiluere venti :
Ipſe fons dormit placidè refuſis
Margine lymphis.
Si venis, tum me referente grates,
Audies vitæ pater atque cuſtos :
Pallidæ nec jam metues vocari
Mortis imago.




IN

CL. V. FRANC. SERAPHINI REGNERII S. Launi Abbatis CARMINA LATINA.

ODE XXXVIII.

PARISINI moderatrix Dea Pindi,
Patriæ Gallica Pitho, SERAPHINE,
Tibi linguæ, tibi primos dedit ultro Lyræ honores.
Et adhuc ambitioſo, nimis audax,
Heliconis Latialis ſuperare
Pede colles, & inacceſſa Maroni juga tentas?

Age, da vela ſecundis tua ventis.
Licèt haud unus eunti ſtrepat Anſer;
Licèt uncum niger Ales tibi roſtrum, tibi ſævum
Ferat unguem; tamen inſta: neque ceſſes,
Niſi totos Venuſinus tibi Cygnus
Properet linquere fontes, vetus & cedere regnum:
Et ab undis Aganippes procul Anſer:
Procul actus niger Ales, ſibi ſtringens
Laqueo colla tenaci, grave murmur nece pendat.



IN

ZEPHYRUM,

Cujus violentiam & importunitatem ſumus experti, cùm Lutetia Nannetas peteremus.

ODE XXXIX.

TUNE ille Amoris Zephyrus auriga & Joci;
Veriſque alumnus & comes?
Floram quotannis qui ſuo de funere
Tepente revocas halitu:
Et mollia inter elicis ſuſpiria
Telluris è ſinu roſas.
O fama nimiùm credula! ô laudes feris
Malè diſſidentes moribus!
Blandum relinque nomen: & felicibus
Omitte ventis inſeri.
Non æſtuoſi pervicax furor Noti
Tremente ſic ſævit polo;

Gelidoque

Gelidoque ab axe mitiùs Boreas torat,
Hiemes reducens hiſpidas.
Heu ! quanta terris, quanta vicino ingruit,
Te flante, tempeſtas mari !
Quaſſæ profundo gurgite feruntur rates,
Portuſque naufragium timet.
Stupet ipſe, jam commiſtus Oceano, Liger
Actis retro ire fluctibus.
Nec, turbulentis motibus, mundi ſat eſt
Pacem, atque leges ſolvere.
Nimbi ſequuntur æquore infuſo graves,
Cæloque diluviem invehunt.
Vidi ipſe, vidi ; menſque vix adhuc metu
Vacat, pericli conſcia :
Cùm lapſi ab alto montium cacumine,
Per ſaxa torrentes ſcabrum
Sibi vi cavarent limitem : & ſpumantibus
Undis in ima vallium,
Magno fragore conciti decurrerent,
Equiteſque raperent ac equos.
Quàm pæne ſubitis obrutus paludibus
Lethæa vidi flumina !
Et tot malorum cauſa conſecrabitur,
Zephyruſque ſe junget Deis ?
Non ſic abibit ; quamque grande ſit nefas,
Læſiſſe Vatem, ſentiet.
Ergo, ſceleſte, ſi quid Æolum preces,
Vel noſtra tangent carmina :
Pennis revulſis, horridâ incluſus ſpecu,
Ac montis oppreſſus jugo,
Nequicquam amorum, teneræ & uxoris memor,
Triſti ingemiſces murmure.
Exire nec licebit ; ira ni Jovis
Ab impiis mortalibus
Inuſitatas exigat pœnas, ſuo
Et diriores fulmine.





REGI
PRO
RECUPERATA VALETUDINE.

ODE XXXIX.

DIFFUGERE metus procul.
Lætare incolumi, GALLIA, Principe:
Et jactantiùs aureis
Frontem laurigeram cingere liliis
Ne differ. Nimis ah! nimis,
Forti quanquam animo dissimulans tulit,
Sævus torsit eum dolor:
Dum ferrum medici parcere nescium,
Crudelesque piè manus
Fallacis latebras excuterent mali.
Quo nos vulnere saucii,
Ut cælum ambiimus sollicita prece!
Ut pro Rege vicarium
Mortis quisque furori obtulimus caput!
Sic, quum lumine languido,
Passus deliquium Sol, media die
Noctem turbidus objicit
Improvisam oculis: omnia lugubri
Stant obducta situ: feræ
Lamentantur: aves flebiliter gemunt.
Flores vita etiam fugit,
Extincto superesse indociles patri.

At curæ ite graves : viget,
Et luci LODOIX reſtituit ſuos.
Hinc grates agimus rei
Votorum meritas, non ſine lacrimis,
Quas amor malè continet,
Haud tantæ capiens lætitiæ modum.
Illo ſoſpite quid Deus
Majus Francigenis, aut melius daret ?
Non, ſi lapſus ab æthere
Victrices Aquilas fœdifrago Inſubri
Rurſum Carolus inferat ;
Ereptaque Arabi Cantabria, jugo
Infrænes premat Hungaros ;
Ac Cimbrum Ligeri ſubjiciat mare :
Penſet BORBONIDEN ſatis ;
Nec virtute Nepotem æquet Avus pari.
Ejus prælia poſteris
Quum faſti memores, famaque divident,
Qua tandem poterunt fide
Vatum ſe levibus demere fabulis ?
Seu narrabitur ungulâ
Sulcatus Vahalis quadrupedum, & lacus
Audax per tumidos eques
Intrare armiferæ caſtra Bataviæ.
Seu dicetur, ut inſolens
Olim fræna pati, denique paruit
Fractis Flandria viribus :
Ut devicta iterum non violabili
Se Burgundia Galliæ
Junxit fœdere. Quis finibus additum
Noſtri non ſtupet Imperî,
Abruptis Luceburgum è ſcopulis minax ?
Uno quiſve duas die
Arces non refugit credere deditas ;
Alpini hanc dominam Padi,
Illam, Rhene, tui gurgitis arbitram ?

Prædo luget adhuc Nomas
Exuſtum pluviis Algerium ignibus.
Nec Syrtis Tripolim ſua
Francis fulminibus præſtitit inviam.
Currunt divitis Indiæ
Pinus merce graves, per freta barbaris
Circumſeſſa triremibus
Securæ. Neque jam Maſſiliotico
Deprenſus pelago inſtitor
Pejus naufragio ſervitium timet.
Lauris ſed magis omnibus
Claret pacis opus, MAXIME REX, tuæ:
Quâ Divis Hydra centiceps
Deteſtata jacet. Cœperat huic tamen
Membris ire novus calor,
Paulatimque ſolo ſe reparabilis
Tollebat capitum ſeges,
Jactans horrifero gutture ſibila.
Spem nunc abjicit improbam,
Te damnata ſupremùm incolumi mori.



FABULÆ.




SOL ET RANÆ.

FABULA I.

RANÆ paludis incolæ, ambiguum genus
Limoque cretum, res in immensum suas
Favore Solis auxerant. Et jam greges,
Vicina circùm qui tondebant gramina,
Ipsosque ripis fugere compulerant boves.
Quin se profundo credere ausæ gurgiti,
Facto siluros atque thynnos agmine,
Et provocarant sæpe, & sæpe vicerant.
Hinc fastus illas cepit & superbia,
Majusque crimen, gratiarum oblivio.
Patroni Solis invidere gloriæ
Ingrata gens occœpit, ac liventibus
Oculis tueri mundo adoratum jubar.
Nec se protervis abstinent conviciis.
Nam sive ad Indi litora obvertit rotas,
Equos Ibero sive lavit flumine,
Sive arduam Leonis ascendit domum,
Lunæve radiis cornua offudit suis;
Ranæ coaxant, & clamore incondito
Queruntur omnia perdere. ultrices simul

Minantur iras, ni ſtet immotus polo.
Pergenti terras flammeo non ſegniùs
Luſtrare curru, perfidæ tentant viam
Obſtruere. Fundo ab imo cœnoſos lacus,
Ulvaſque putres, & ſolo reſides aquas,
Pedibus petulcis commovent. Cælo vapor
Conſurgit ater, & diem caligine
Obſcurat almum. Riſit aſtrorum parens:
Et iſta veſtrum tela recident in caput,
Procaces, inquit, beſtiæ. Ergo colligit
Quos diſſiparat radios: inque fulmina
Nigros vapores, inque denſam grandinem
Momento vertit, & miſeras triſti opprimit
Ranas procella. fruſtra juncis corpora
Certant opacis tegere; fruſtra ſub luto
Defoſſæ ſperant publicæ ſtragi eripi.
Sol rapidus haurit cuncta, & ipſas ignibus
Abſumit undas. Ranæ ſemiuſtæ crepant,
Milviſque & corvis dulce præbent pabulum.
Quarum una fertur ceteris conſultior
Dixiſſe moriens: Jure pœnam exolvimus,
Quæ pro benefactis ſola reddidimus mala.
At vos, nepotes, diſcite vereri Deos.



GALLUS.

FABULA II.

CONSILIA iniqua proſpero exitu carent,
Et ad perniciem ferme auctores devocant.
Criſtâ ſuperbus, unguibus & roſtro ferox,

Bello premebat Gallus agmen Anserum,
Qui se protervè sibilis incesserant.
Exterminati campo fugere ad lacus,
Opem implorantes cum clangore flebili.
Continuò Falco silvæ præpes arbiter,
Et qui rapacem pennis Accipitrem refert
Montis Cucullus incola, turmis undique
Collectis avium, ferre suppetias parant.
Cœpti auctor Aquila, quæ sibi volantum in greges
Jus arrogans, tolerare nescit æmulum:
Ingrata nec se meminit exemtam neci,
Galli operâ ruptis, queis hærebat, retibus.
Ergo per auras atra nubes Vulturum
Intenta prædæ fertur, & inumbrat diem.
Milvi sequuntur, natio famelica,
Et qua grassantur cumque vastant omnia,
Implentque valles horrificis stridoribus.
It contra Solis Ales imperterritus,
Ultroque ad pugnam cantibus hostes provocat.
Sed Falco veritus bellatori incurrere,
Mitem in Columbum vertit omnes impetus,
Cycnumque vexat Anseribus gravem suis.
Quin & Luscinius fontis ad caput sacri
Dum cantat, atque voce permulcet feras,
Milvorum vix evasit uncis unguibus,
Dulcem coactus pessimo relinquere
Nidum Cucullo. Fraude non diu tamen
Frui raptores licuit. Sociorum advolat
En Gallus ultor, inque Falconem irruens
Rostro cruentat, & asperis calcaribus,
Plumisque nudum patrio è saltu ejicit.
At expugnator ille nidorum improbus,
Singultienti voce Fortunam increpans,
Demissis alis æger clam se proripit;
Quem Lauri conspicatus è ramo procul
Luscinius sic jocoso ludit carmine:


Jam certa veteri [a] Fabulæ constat fides,
Abit Cucullus, Accipiter qui venerat.

a Coccyx ex Accipitre videtur fieri, tempore anni figuram mutans. *Plin. l. 10. c. 9.*

LEPUSCULUS ET LEO.

FABULA III.

SENSISSE monstras, dum memor es injuriæ.
Spernendo meliùs inimicos ulcisceris.
Propter paludem cursu anhelo transiens,
Quum fugere Ranas cerneret Lepusculus,
Altoque pavidum tegere sub limo caput:
Mirari seipsum cœpit, & majoribus
Jam cedere negans belluis, cursu improbo
Leonis infestare somnos institit,
Caudam & protervis vellicare morsibus.
Innoxiis quem captans unguibus Leo,
Hac increpasse voce trepidum dicitur:
Feres oblatam impune contumeliam.
Pœnas quidem mereris letho pendere:
At me inquinari sanguine indigno pudet.





ERUCA ET LAURUS.

FABULA IV.

PUs & venenum ruris, ore fœtido
Eruca caules aſſüeta lambere,
Adrepſerat ſacratum Parnaſſi in nemus,
Laborioſo mixta bombycum gregi,
Qui fila Muſis grata nent ſororibus.
Sed indolem celare nativam diu
Moreſque peſtis improba haud valuit ſuos.
Nam qua ſe cumque torto vertit corpore,
Continuò flores triſti expirant halitu,
Omniſque adeſis arbor emoritur comis.
Reſtabat una Laurus, quam Phœbus manu
Olim ipſe propria conſitam, vocalibus
Regnare ſilvis dederat : hanc etiam lues
Injurioſo dente parabat aggredi :
Fruſtra. nam amaris ora figere dentibus
Dum tendit, medio moriens in morſu crepat.
Fabella dicta eſt ſatyricis ſcriptoribus,
Famam bonorum qui quærunt infamiâ.






TORRENS
ET FLUVIUS.
AD
CAROLUM
SANCTAMAURÆUM
MONTAUSERII DUCEM.
FABULA V.

QUÆSITÆ honestis artibus, raptæque opes,
Fabella paucis edocet quid differant.
Multo imbre tumidus montis è fastigio,
Per confragosa saxa, rupesque asperas
Torrens ruebat : & rapaci vortice
Secum trahebat arbores, greges, domos,
Non absque magno rusticæ gentis metu.
Is Fluvium conspicatus inter populos,
Glaucasque salices vitreo errantem pede,
Sic ore fertur increpasse turbido.
Dum tenui lentus alveo ac inglorius,
Ægrè humile mediis tollis è juncis caput,
Quanto per agros agmine decurram, vides.
Mihi cuncta eunti cedunt : & frænos pati
Indoctus, undis æmulor pontum meis.

Cui leni sic respondit Amnis murmure :
Me verò lymphas volvere perennes juvat,
Ingenuo fonte natum. Nulli noxius,
Cunctis beneficus, arbores & gramina
Vitali humore nutrio. Pastoribus,
Fessoque pecori, potum & umbram præbeo.
Hinc ripa utrimque flore perpetuo micat ;
Nec canere honores accolæ cessant meos :
Cùm te, ceu cladem detestentur publicam.
Fragore tanto quid enim speras consequi ?
Nimbos serenus Sol ubi deterserit,
De te supererit nil nisi spuma & lutum.

Ridendo, MONTAUSERI, verum dicere,
Salibusque vitia defricare candidis,
Horatio videtur res non ludicra.
Utinamque ficta quos notat narratio,
Hinc displicere seriò discant sibi !
Cæcæque crimen sortis, ac cæli furor,
Et pœna dici generis humani horreant !
Qui vastitate ruris, & casu urbium,
Mistoque lacrimis sanguine domos extruunt,
Nequaquam heredi possidendas tertio.
Tibi innocentes, turpis & puras lucri,
Nihilque fisci jura metuentes opes,
Habere avorum longa dat successio,
Virtusque, nunquam, LUDOVICO Principe,
Merito & labori deesse questa præmium.
Macte esto veteris gloriâ abstinentiæ :
Quam si recusat sæculum præsens sequi,
Erit illa certè posteris miraculo.





DEMENTIA AMOREM DUCENS.

AD V. CL. ÆGIDIUM MENAGIUM.

FABULA VI.

VENUSTIORIS elegantiæ pater,
Cui Fabularum Musa doctarum artifex,
Molle & facetum quod erat Æsopi, annuit:
Et hos vicissim, nostri amoris obsides,
Promptique testes obsequî, senarios
Habe, MENAGI. Sunt tuis quidem impares,
Fecisse quos libertus Augusti velit.
Sed argumenti fortè novitas gratiam,
Et utile mixtum dulci, promerebitur.
Quod deest, tua illis suppleat benignitas.
Partu gemellam prolem Cypris unico
Creasse Amorem fertur & Dementiam:
Habitu, ore, studiis, moribus, simillimos:
Ut par sorori frater, & fratri soror,
Non injucundum facerent errorem suis.
Nam tela & arcus si dares Dementiæ,
Ipsum intueri crederes Cupidinem:

Crotalum atque larvam ſi dares Cupidini,
Ipſam intueri crederes Dementiam.
Aſſiduus hæret alter alteri comes.
Confabulantur, luſitant, ſaltant ſimul:
Sibique lepidas invicem fraudes ſtruunt.
Hinc rixa & iræ, dein reconciliatio.
Queruli, feroces, contumaces, aſperi;
Iidemque blandi, morigeri, tractabiles,
Ab unguibus pugniſque in amplexus ruunt:
Semperque liti proxima eſt concordia.
Hos oſculatur, hos fert in oculis Venus,
Seſeque in illa noſcit & probat indole:
Arteſque vinci læta miratur ſuas.
Fors in Cythera cum ſorore conjuge,
Primiſque Divûm, venerat Rex ætheris.
Ibique menſis dum paratis accubat,
Et neptis ubi ſit, quærit, & parvus nepos:
Adſunt Jocorum pumilo cincti grege:
Curruque Matris aureo in cœnaculum,
Bijugiſque ovantes ſe columbis inferunt.
Tum ſic Cupido, voce ſublata, incipit:
Diſcant Amoris cedere omnes Numini.
Tuque ô Deorum qui parens & rector es,
Aſſueſce Domini ferre majoris jugum.
Hæc fatus, Alitis dorſum armigeræ inſilit,
Adunca inſerto roſtra nervo temperans:
Raptumque trepido fulmen intentat Jovi.
Simulque eidem nequior Dementia
Joculari furtim tegmine includit caput:
Pupamque dextræ, lævæ dat crepitaculum.
Riſere Superi: dumque rident, ſentiunt
Se luſos etiam perſimili protervia.
Apollo pharetram, Mavors haſtam perdidit,
Nereus tridentem, Mercurius talaria.
Nec nati ab ipſa Matre nequitiam abſtinent,
Pallaſque ſola ludibrium non pertulit;

Prudentia ipſam texit atque Caſtitas.
At delectatus Juppiter ſpectaculo,
Poſtquam oſculis & voce molli blandiens
Diu ambo demulſiſſet, illis nectare
Condîta multo projicit tragemata;
Eheu! funeſti materiam certaminis.
In prædam toto nam projecti corpore,
Cùm legere feſtinarent, & cupidâ ſibi
Quæ legerant uterque, præriperent manu,
Ad arma ventum eſt. Et prior Dementia
Acu, parantem tela, crinali occupat
Fratrem, atque ocellos ictu geminato effodit.
Fit clamor ingens: Aula luctu perſonat.
Sibi mæſta crines & genas laniat Venus.
Natique in ore fixa, & orbes lacrimis
Lavans cruentos, vulnera tepido halitu,
Et dulcibus curare tentat baſiis.
Fruſtra. medelam grave non admittit malum.
Nec ipſe quicquam Phœbus herbis proficit.
Mente autem conſternata, quodque fecerat,
Potuiſſe fieri miſera vix credens ſoror,
Meritas parabat ultro pœnas ſolvere.
Rubramque fratris ſanguine rotans cuſpidem,
Suos in oculos vindice vertebat manu.
Stitit furentis impetum Deûm parens:
Et iſta ſerves, inquit, fratri lumina,
Cui eſſe poſthac jubeo te viæ ducem,
Fidâ regentem dexterâ incertos gradus.
Paret Tonantis imperio Dementia:
Cæcumque ducit ipſa ductore indigens.
Hæc nos, Menagi, Fabula venuſtè monet,
Amantes eſſe proximos amentibus.



AD

IAMBUM.

Ut Carolum Pererium V. Cl. admoneat Fabulam jamdudum promissam in lucem edere.

AMÆNITATIS *& leporis arbiter,*
Venuste Iambe; si quid ambo candidis,
Quod & placeret, utile & simul foret,
HUETIO *probante, lusimus jocis:*
PERERÎ, *amica, quæso, nota nam via est,*
Adire tecta concito velis gradu.
Et ut nihil retardet, aut gravet pedem,
Tibi illigare quem solet Tragœdia,
Cothurnus absit. Ille quid novi feras;
Quò, & unde? si requirat; hæc modestiæ
Memor repone. Jamdiu esse debitam
Sodalibus fateris ipse Fabulam:
Ubi æger Imperator efferi gregis,
Catæ arte Vulpis, exuit cutem Lupo.
Meo hanc reposco jure. Cur trahis moras?
Et expolita pergis usque carmina
Severiore durus ungue radere?
At annus exit alter, ista dum paras.
An ergo Gallus Hercules Hydræ ocius
Valebit exsecare centuplex caput,
Opus Poëta quàm queat breve exequi?
Molestam Apollo diligentiam improbat:
Nimisque magna cura par inertiæ est.

Ita elocutus, ilicet tuo novos,
Venuſte Iambe, prome de ſinu ſales:
Et hanc videre deprecare Fabulam.
Pudore forſan excitabitur calor:
P E R R I Oque quod labor negaverat,
Dabit repentè dulcis æmulatio.

MUS, FELES, & MUSCIPULA.

FABULA VII.


MUSCIPULA ahenis horrida in mucronibus,
Feleſque peſtis major, omne Murium
Exterminare nomen obſtinaverant.
Adeoque valuit ſæva conjuratio,
Vix ut ſuperſtes unus innumeris foret,
Factus alienis cautior periculis:
Tamen parentis uſque & uſque triſtia
Olli recurſant fata, quem crudelibus
Eviſceratum nuper uncis viderat.
Animoque memori non abeſt unquam impiis
Heu! cara ſoboles palpitans ſub unguibus.
Nec ultioni, ſi qua ſe via offeret,
Eſt defuturus. Auget ingenium dolor,
Rebſque miſeris acuitur ſolertia.
Vacuo ſedebat machina in cubiculo,
Certum doloſa ſub dape exitium tegens.
Cæcoque contrà deliteſcens angulo,
Solitas vigil tendebat inſidias fera.
Quæ Mus ab alto conſpicatus fornice,

Per fida raptim labitur compendia,
Humumque subter limite acto prosilit.
Ac ille primùm stat sub antri limine,
Mox progredi audet paululum, & velut doli
Ignarus huc illucque fert vestigia.
Quin fraudulentas improbus fruges adit,
Gratum sagaci nare nidorem hauriens;
Avidoque simulat ore velle carpere.
Muscipula ridet: ac misellum jam putat,
Spe ducta inani, dentibus molere asperis.

At verò Feles (namque noto senserat
Odore Murem adesse) suspenso gradu,
Totoque reptans corpore, in opimam prior
Irruere prædam gestit. Ex longo fames
Collecta, nativusque stimulabat furor.
Tandem loco vicina sumit impetum;
Ventoque, & alis fulminis pernicior
Erumpit. Atrâ Mus caput mergit specu;
Sibi non paratis ipsa laqueis incidit.
Laxata pulsu machina effringit pedes,
Simul rigente circulo colla impedit.
Rupti hanc putes exigere pœnas fœderis.
Id misera Feles sentiens, rabie pari,
(Spes quando nulla denique est vitæ super)
Suæ vicissim perdere auctorem necis
Molitur. Ergo quàm potest vi maxima
Nisuque, corpus ter quaterque subrigit,
Agitatque quatiens. Ærei ingentem sonum
Axes dedere. Muscipula dissolvitur,
Adque morientis bestiæ cadit latus.

Quas Mus jacentes lætior cùm cerneret,
Sors, inquit, ista debita est latronibus,
In innocentum spolia dum cupidè involant,
Sibi infideles mutuâ pereunt ope.
Vos, queis nefandæ gentis incubuit timor,
Demum beatos esse fas est: vivite.





PAPILIO ET APIS.

AD ILLUSTRISSIMUM ABBATEM

P. D. HUETIUM


ECCLESIÆ SUESSIONENSIS Episcopum designatum.

FABULA VIII.

ALIS superbus auro & ostro lucidis
Papilio, necnon mellis artifex Apis,
Sub luce Solis prima in hortum venerant.
Miratus ille copiam florum & decus,
Quos pulcriores ipsa reddiderat suis
Aurora lacrimis: Quæ voluptatis seges
Ultro offeratur certis, inquit, ô soror.
Properemus ergo, dum sinit dies, frui.
Simul nitentes areolas circumvolans
Temere vagatur, quà sua libido trahit.
Florem putares nare per liquidum æthera:
Usque adeo par est æmulis coloribus.
Et nunc fragrantem violæ captat halitum:
Nunc semiapertæ libat osculum rosæ,

Moriſque blandus ventulum pennis facit.
Tenella calthæ folia jam depaſcitur;
Jam inebriatur calyce narciſſi aureo:
Modò in tepente dormit anemones ſinu.
Laſcivus, importunus, inquies, procax,
Sectatur omnes, mox relinquit: & brevis
Unius amor eſt alterius faſtidium.
Apem per hortum cura exercet interim,
Studiumque melius. quippe non odoribus,
Levique fuco capta, flores obſidet;
Vanoque circùm murmure errans inſtrepit.
Sed dulce miſcens utili, ceram undique,
Melliſque dona roſcidi cæleſtia
Colligere certat. Sicubi è ſudantibus
Expreſſus aſtris humor, aut flavas croci,
Aut nigricantes lavit hyacinthi comas;
Argenteumve lilii alabaſtrum impluit:
Celeribus illò vecta pennis advolat,
Latura caſtris dulces exuvias ſuis.
Sed nec ea thymbram, ſerpyllumque negligit.
Nec ſugere humilis floſculos ſpernit thymi.
Quin ſtirpe ab omni colligit prudens opes:
Nulloque ſpolia non refert de gramine.
Et parcere operi jam monebat Heſperus.
Quum ludo anhelus, atque diſcurſu vago,
Papilio devolanti factus obviàm:
O te, inquit, inclementis & duri ingenî!
Quæ perdidiſſe tam bonam potes diem.
Haud me laboris, retulit illa, pœnitet.
Ceram votivas præbituram Diis faces,
Gratumque domino condidi nectar meo.
Nec defui, privata quæ neceſſitas,
Præſenſque vitæ poſcit uſus, exequi.
At tu moleſtum, frater, habuiſti otium:
Ingratiiſque nil agendo feſſus es.
Ab diligenti ſtudio curioſitas

Quid vana distet, quilibet hinc intelligit.
Nunc certè, HUETI, plurimos mortalium
Multijugæ lectionis insanabile
Cacoëthes, & vesana prurigo tenet:
Quos jure Pindi Papiliones dixeris,
Volatile genus atque desultorium.
Hi more nullo & lege oberrantes libris,
Ipsos in horas & studia mutant malè.
Peregrini ubique, sistere usquam nescii,
Olfacere gaudent cuncta, nil succi trahunt,
Magnoque pretio comparant inscitiam.
Ast æmulatur sedulæ sapiens Apis
Consilium & artes. atque venturi memor,
Seu molle roseæ ver juventutis micat,
Seu vitæ fervet æstas, aut declivibus
Autumnus annis mitior maturuit,
Non mella propriis cessat inferre alveis.
Cecropio, HUETI, fert tibi thymum jugo
Felix Hymettus. collibus dedit tibi
Demetere flores Roma perpetuos suis.
Dulcesque Libanus auxit & Sion favos.
Perge modò Divûm promereri gratiam,
Hominumque laudes, scriptis immortalibus.
Sic sacra frontem Mitra quamprimum ambiat.
Sic bruma capiti quum nives infuderit
Centesima, tuus te neget calamus senem.



CONJURATIO STELLARUM IN SOLEM.

FABULA IX.

FULGORE Solis lumen offundi ſuum
Stellæ indignantes ; ſuſpici mortalibus
Cœlique ſolum ; ſe relinqui inglorias :
Cuncta inſuetis miſcuere motibus.
Excanduiſſe dicitur præ ceteris
Imperium Olympi ſorte adeptus Juppiter ;
Et qui plagæ dat nomen Occiduæ Heſperus :
Infenſi Soli, dum negant alter parem,
Alter priorem ferre. Quid non & Deos
Invidia cogit ? Ergo Mercurii domum
Per amica noctis ſe ferunt ſilentia,
Et quæ tenent majores Stellæ circulos,
Et quæ minores. Fecit errantes furor
Communis omnes, nulla jam fixa eſt polo.
Ubi coïere : tum ſic Major Piſcium,
Quem ambuſta cauda ſæpius, & rubens adhuc
Reddebat eloquentem, cum gemitu incipit :
Quo ſumma rerum ſit loco cognoſcitis.
Odioſa Solis in dies potentia
Per damna noſtra creſcit. Aſtris omnibus
Cœlo migrandum eſt, ipſe ni depellitur.
Mihi teſtis eſto Juppiter, cui proxima

Datum tenere regna Saturno Patri:
Quoties occursu injuriosi sideris
It retro, metuens triste deliquium pati.
Et jam ministra fulminis quondam sui
Solem intuetur Aquila: nec domino alteri
Servire malit. Tuque, cujus Occidens
Adorat ignes, Hespere, illius sequi,
Dignus præire, cogeris vestigia.
Illum retusis Luna fugit cornibus:
Cùm transilire aggressa fixum limitem,
Austrina gravibus signa bigis stringeret.
Vim sensit Aries aureo bis vellere
Spoliatus. Ore sensit ardenti minax,
Oculisque vibrans fulgura incassum Leo.
Aliena sed cur defleo infortunia?
Heu! luctuosum Pisces exemplum sumus,
Violenta quàm sit Solis indignatio.
Mediis in undis infelices arsimus:
Aquarii nec profuit vicinia.
Dicere parantem plura non sivit dolor.
Exclamant omnes, Sole dejecto ocius
Fatale mundo comprimendum incendium.
Superesse vires si conjunctæ manserint.
Valescere suis æmulum discordiis.
Augebat animos atque confidentiam
Tot visa nox æquare luminibus diem.
Stultè. Quadrigis vix enim Sol igneis
Vehens, Olympum lucido telo impulit:
Et ecce subitus ora pallor occupat,
Seseque Stellæ mutuò ereptas suis
Queruntur oculis, impares tantæ faci.
Sic dissipata est vana conjuratio.

Fabella monstrat, emere ludibrium sibi,
Potentiorem qui parant lacessere:
Numerumque nil juvare, si virtus abest.



ASINUS

ASINUS
IN PARNASSO.
AD
CL. V. ÆGIDIUM
MENAGIUM.

FABULA X.


AUDI, MENAGI, si vacat, dignum auribus
Tuoque risu somnium; novissima
Quod nocte, premeret dum gravis mentem sopor,
Portâ ipse Morpheus corneâ misit mihi.
In altero sedere Parnassi jugo,
(Fecere Cyrrhæ nomen, ubi Phœbo sacrum
Musisque, vere gaudet æterno nemus)
Videbar. Aderant ingenî & scientiæ
Quos laude claros fama super astra extulit;
Graiique, Romanique, & utrisque æmulos
Quos litterarum Gallia eduxit parens.
His mistus aderas tu quoque, & Phœbo locum
Tibi omnis ultro proximum dederat chorus.
Dum quisque motis arte concordes student
Sociare voces fidibus; adque carmina
Collesque respondere & auritas docent
Saltare lauros: largiùs poto mero
Fractisque habenis, atque clitellis ferox

O

Sileni Asellus vector, in medio affuit
Repentè cœtu. Risus ingens omnium
Ad insolentis oritur aspectum rei.
At ille rauco gutture horrendùm rudens,
Caudamque & aures non sine crepitu arrigens,
Nunc hos protervis, nunc & illos calcibus,
Impetere cœpit : quosque licuit ungulam
Vitare, multo stercore & oleto inquinat.
Inde omne simili per nemus licentia
Bacchatus errat. Si qua fortè celsior
Cælo virentem laurus explicuit comam;
Hanc dente rodens improbo decorticat,
Nudatque foliis. Nil suus fulgor rosas,
Sua nil perennes gloria amarantos juvat,
Quin iis petulco bestia insultet pede.
Etiamque sacris se volutat fontibus,
Et Hippocrenèn ore fœdo polluit.
Mirabar hæc impune quadrupedi ebrio
Licere. cùm de rupis exesæ cavo
Apum agmen ingens cum truci fremitu advolat,
Urgetque stimulis undique exertis pecus.
Pars ora & oculos figit ; at pars mobiles
Aculeatâ cuspide aures vellicat.
Hæ narium subire penitus intimos
Certant recessus. Clunibus aliæ insident :
Caudamque subter, mollior quà se cutis
Vulneribus ultrò pandit, infestæ furunt.
Frustra ille crebris calcitrans subsultibus
Fugaque tentat excutere molestiam :
Pennata graviùs turma fugientem premit.
Quin ipse fontis Pegasus pœnas sui
Reposcit ultor; inque Rudentem ungulâ
Morsuque sævit. Bestiæ infortunium
Miseratus hîc exclamo ! Tandem parcite
Sileni Asellum Bajulumque persequi.
Meruisse fateor : at scelus abunde suum

Expendit. Oris abſtulit formam tumor,
Aterque membris omnibus ſanguis pluit.
Surdis canebam. Jamque plagis obruto
Triſtes parabam nænias, quum deſiit
Subitò videri. Reſque mira! qui bonos
Inſtituit omnes dente cenſor publicus
Carpere maligno, Pædagogus aſtitit;
Longas Aſelli pro ſuis aures ferens.
Quæ monſtra dum me territant, fugit ſopor.

Tu ſomniorum ſcitus interpres, doce
Hujus, MENAGI, quale ſit præſagium.




ASINUS JUDEX.

FABULA XI.

CERNENS Athenis imperitum Judicem
Dirimere lites, jure nullo & ordine,
Odioque vel favore miſcere omnia,
Æſopus hanc narraſſe fertur Fabulam.
Inter animantes cùm gravis contentio
Olim eſſet orta, ſedit Aſinus arbiter:
Quippe aurium menſura liberalior,
Et ore toto fuſa ſimplicitas, probi
Atque patientis fecerant multis fidem.
Primæ ad tribunal ſe novum ſiſtunt Apes,
Direpta queſtæ mella Fucorum dolo,
Cellaſque inanes. Ille, plagarum memor,
Sibi quas cruentis intuliſſent ſpiculis,

Agmen odiosum lumine infenso aspicit,
Voce & minaci, ceu nocentes, increpat:
Fucosque labis integros pronuncians
Dat habere ceras, & favis Apum frui.
Clangore post hæc Anser instrepens gravi
Dato libello supplice, orat, ut sibi
Suisque liceat flumina & fontes sacros,
Cycnis repulsis, colere. Præses annuit.
Ecce Philomelam Gracculus lacessere,
Et vocis audax poscere sibi gloriam:
Litem, inquit, Asini finiat sententia.
Jubentur ambo canere. Luscinia incipit,
Animosque teneris omnium & sensus modis
Demulcet. Ipsæ carmine inflexæ caput
Et lenta motant brachia ad numerum ilices.
Nequicquam. Ineptis plus probatur auribus
Rude murmur, atque stridor absurdæ Alitis.
Quid plura? fortem vicit, illo judice
Columbus Aquilam: pulcrior picto fuit
Pavone Corvus: Ovis Lupo rapacior.
Adeo stupori par erat malignitas.
Vulpes, iniqua scita sibilantibus,
Aliud ab illo nil, ait, speraveram,
Cujus palato carduus gratùm sapit.



ASINUS AD LYRAM.

FABULA XII.

Valle in reducta conjugem raptam Orpheus
Miserosque amores flebat, argutas lyræ

Adgemere questus ad suos docens fides.
Tristitia cantum dulciorem fecerat :
Quo tractæ ab antris Lynces, atque Tygribus
Juncti Leones, & rapax Pardi genus,
Ursique, Aprique, prædæ & immemores Lupi,
Feritate posita, Capreis cum imbellibus,
Damisque, & omni non ferocium grege,
Venere : silvis hospites sequentibus.
Et ipse venit carduis Asinus satur :
Mobilibus auribus atque pendulis labris
Ridendus. Ergo dum simul & ore & manu
Noctem diemque blanda Vates integrat
Lamenta : magnum cerneres miraculum :
Saltare saxa & arbores, sensus sui
Dare signa, contra bestias resistere,
Veluti revinctas æreis nodis solo.
Arte expolitæ crederentur imagines,
Ni vita obortis lacrimis se proderet,
Quas exprimebat gaudio mistus dolor.
Arcadicus autem Quadrupes nil sentiens,
Surdusque pariter vocis & plectri ad melos,
Tam rusticis placere non natum auribus,
Clamorem hianti ter quaterque gutture
Ad astra tollit, atque cantu incondito
Loci quietem turbat & silentium.
Post triste fatum perditæ bis conjugis
Ridere visus non erat : risit tamen
Visâ rudentis Orpheus petulantiâ,
Laxisque cythara fidibus elapsa est manu.
At ecce rabies belluarum mentibus
Vi blanda ademta, priscus & furor redit.
Omnesque pecudis in necem facto agmine
Irruere certant. Primus insiluit Leo,
Armumque toto corpore avulsum abstulit.
Immani hiatu Tygris invadit femur.
Aper recurvo dente rumpit ilia.


Trahit pilosas Ursus aures unguibus :
Lynx ora lacerat, sanguinem bibunt Lupi,
Ferisque spreta membra nobilibus vorant.
Confusa pellis ossibus remanserat.
Hanc saxa, jam non efficaci carmine
Suspensa, tumuli ne decus desit, premunt.
Inscripsit aliquis nomen & causam necis.
Cælesti Asellus obstrepens Testudini
Habet stuporis præmium & protervię.



PALMA
ET CUCURBITA.
AD DOMINICUM BUHURSIUM S. J.
FABULA XIII.

VENTOSA Palmam, pergulæ è fastigio
His increpabat vocibus Cucurbita :
Quàm lenta crescis ! si qua Zephyris est fides,
Maturus uvas decies autumnus tulit,
Ex quo, feraci quamvis agro consita,
Vix humile supra tollis arbutos caput,
Nec heri labores justo pensas fœnore.
Ego vere medio nata, jam latè locum
Inumbro foliis, atque sola sum nemus.
Mirare fœtus ! quis decor ! quæ granditas !
Ut sparsus ostro fulget argenti nitor !

I nunc, & illis dactylos præfer tuos.
Tum Palma : Cur inflaris, inquit, inſolens,
Meque ore tumido non merentem deſpicis ?
Quòd lenta creſco ſcilicet, neque auctibus
Adulta ſubitis ſurgo ? quod vertis probro,
Laudem meretur. Figo radices diu
Decertaturas cum furore turbinum,
Et ſæcla poſt complura inhæſuras ſolo.
Te levior aura ſtirpitus vulſam rapit,
Et furca ſi non fulciat, repas humi.
Foliorum inanem ſtulta ſilvam jactitas,
Quæ mox olenti computreſcet in fimo,
Immundi fructus dum tuos edent ſues.
At me ſecundas dactylis menſas juvat
Condire Regum, nec deeſt ramis honor,
Illis triumphos Cæſares ornant ſuos.
Fabella ineptis dicta ſit Scriptoribus,
Qui magno chartæ & temporis diſpendio,
Gravare libris obſtinati ſæculum,
Lentos labores arguunt inertiæ,
Sterilique genio diligentiam imputant.
Sed citò ſeneſcit, quæ citò venit gloria ;
Scriptiſque ſupereſt, multa qui ſcribit, ſuis.





ADULATIO PUNITA.


AD R. P. FRANCISCUM DE LA CHAISE S. J. REGI A CONFESSIONIBUS.

ADULATORES nulla non ætas tulit,
Servile, fallax, peſtilens hominum genus:
Qui blandiendo vitia Principum fovent;
Dulci & veneno conciliant amentiam.
Principio amantur: mox quibus vel maximè
Contenderant placere, meritò diſplicent;
Suæque pœnas dant graves vecordiæ.
Hoc uſus aulæ te, CASA, edocuit ſatis:
Sed & à jocoſo capiet exemplo fidem.
Tumens * Philippis, atque fortunâ ebrius
Antonius luſtrabat urbes Græciæ:
Si quo lateret victa libertas loco
Sollicitus. Ubi nil non metu fractum videt,
Frænique patiens; exuit vultu minas,
Et à furore cædis ad laſciviam
Suoſque mores ſponte naturæ redit.

* Plutarchus in Anton. & Seneca initio Suaſor,

Non jam vetuſtæ gentis auctor Hercules
Jactatus, illum grandia ad facta excitat:
Sed æmulari Liberum juvat Patrem.
Hunc unicè miratur: habitu corporis,
Nitore, cirris, luxu, temulentia
Referre geſtit. Liberum ſe dicere,
Inſcribi ſtatuis Liberum gaudet ſuis.
Ergo omnis illi civitas, quoquo pedem
Tuliſſet, ibat obviàm, thure & mero
Oratum adeſſet dexter & felix Deus.
Pars ante currus thyrſum quatiebant manu,
Rauco canentes Io! Bacche! gutture.
Pars pampinis hederaque ſuccincti caput,
Motus petulcos, more ſatyrorum, dabant.
Quin adeo matres, temere ſparſis crinibus,
Tectaſque Lynce pectora, inſanis novum
Non puduit implorare Numen orgiis.
Atque iſta multis profuit adulatio,
Victoris & rapaces avertit manus.
Athenienſes verò dum excedunt modum,
Captantque domini gratiam ſerviliùs,
Cladem attulere rebus ultimam ſuis.
  Ingreſſo in urbem populus occurrit frequens,
Interque plauſus & choros Bacchantium,
Illum ad patronæ ducunt arcem Palladis.
Tunc Areopagi Præſes implexam offerens
Hederis olivam, Pignus, inquit, hoc tibi
Fidei & amoris donat armipotens Dea.
Et quæ refugit virgo Martis nuptias,
Baccho his maritam ſe dicat ſponſalibus.
  Agnovit artes Græculorum Antonius,
Seque irrideri ſenſit. Utque ira & pudor
Urbanitatis non rudi ingenium auxerant:
Quis, ait, ſuperba Palladis non ambiat
Conjugia? Do, viciſſim & accepto fidem.
Nunc mille vos talenta dotis nomine

Numerate. Quanquam filiæ id parum est Jovis,
Plus non requiret nostra tamen benignitas.
Punita sic est turpis assentatio.
Ad inopinatum Fabulæ, CASA, exitum
Rides, & actam sub alieno nomine
Spectare gaudes sæculi comœdiam.
Quippe aula plena est nunc quoque adulatoribus,
Mala arte blandis aucupari gratiam,
Pronisque in omne ruere, dum placeant, nefas:
Qui Antonianæ si parem superbiæ
In LUDOVICO Principem nacti forent,
Huic, pulso ubique templa surgerent Deo.
At ille falsis nil egens honoribus
Exuperat intra sortis humanæ modum,
Quos Roma Superis, quosque Græcia addidit,
Et palpatores, pessimam gentem, jubet
Sperare meritis debitum risum suis.




TAURUS SAGINATUS AD JACOBUM LABAUNIUM S. J.

FABULA XV.

EXPERS aratri Taurus, amnis ad caput
Jacebat, herbas otiosè ruminans;
Fruensque grato subter umbram frigore.

Is conſpicatus non procul fratres ſuos,
Durus per agrum quos exercebat labor:
O luce natos triſti, & irato Jove!
Veſtræne par eſt, inquit, infelicitas?
Servilia grave colla deterit jugum:
Nullaque patitur eſſe liberos die.
Fodit hinc Arator cuſpide immiti latus:
Intentat inde voce terrifica minas.
Et quum quietem nox refert mortalibus,
Paleis cœnatos aridis, fœno & putri,
Cubile acuta carice inſtratum excipit;
Feſſaſque reparat craſtinis vires malis.
Mihi omnis operum conceditur immunitas,
Curæque liber prata picta floribus,
Rivis & udos mobilibus ſaltus colo:
Ubi delicatis, & süave olentibus
Securus herbis paſcor ad faſtidium.
Et nunc jocantes appeto cornu Notos:
Sparſoque pedibus pulvere exultim feror.
Nunc ora vitreo in fonte ſpeculari juvat,
Sitimque gelidis pellere ac æſtus aquis.
Videte nivei corporis qui ſit nitor!
Ut obeſa latè terga luxurient toris:
Tenuſque crurum pendeant palearia.
Eſſe iſta me beatum, vos miſeros probant.
Huic jactitanti talia inſolentiùs:
Quam vereor, inquit unus, tanta ne tibi
Cladem minetur proximam felicitas.
Noſtriſque cogat invidere laboribus.
Dum fabulantur, tibiæ auditur canor,
Et ecce raſum cincta verbenis caput
Longo procedens turba venit ordine.
Rector præibat, luci idem cuſtos ſacri,
Flamenque Cereris, voce qui nota vocans,
Blandoque Taurum leniens poppyſmate,
Ter latice puro rite perfuſum lavit:

Ter thure circùm lustrat atque odoribus.
Tum flore frontem, cærulisque candidam
Vittis coronat. Necnon inducto ungulas,
Et levia auro dat fulgere cornua.
  Cereris honores interim Mystæ canunt,
Vocesque geminat vallis & curvum nemus.
  At gaudio impar, atque lætitiâ ebrius
Taurus triumphat, & tacitè plaudit sibi:
Lentoque gressu moliens vestigia,
Monstrare populo sese gestit supplici;
Piasque circumquaque tendentem manus,
Torvo superbus intuetur lumine.
  Ut ventum ad aram, quæ Deæ medio stetit
Erecta pago, res suas demum retro
Lapsas referri sensit. Ingentes Popæ
Adsunt, acutis horridi in securibus,
Juxtaque cultri, farra, sal, capedines;
Ferale mortis specimen & præsagium.
Ergo trementi, vomeremque fratribus
Malè exprobratum serò laudanti, unico
Securis ictu sæva collum diffidit.
Niger it aperto sanguis è jugulo: & gravi
Expulsa in auras vita mugitu fugit.
  Narratione ludicra describitur
Genus illud hominum, quos quis aptè dixerit
Fortunæ abortus, atque fungos sæculi,
Qui patrii ligonis, & avitæ casæ
Obliti, in urbe protinus Reges agunt,
Splendore, luxu, deliciis, superbia.
Miratur hos, paresque Diis vulgus facit,
At verò sapiens despicit ceu victimas,
Fortuna quas saginat, ut sibi immolet.





CLEOPATRA OFFICII ANTONIUM MONENS.


AD V. CL. BERN. BOVERIUM FONTANELLAM.

FABULA XVI.

CLEOPATRA luxu perdita ac amoribus,
Cupidine dominandi ſic inſaniit :
Romam ut vocarit non leve in periculum ;
Tiberimque Nili penè ſubdiderit jugo.
Inſigne factum illius hanc in rem accipe,
Tu Fabulas probare qui ſoles meas
Decus eruditæ, FONTANELLA, Neuſtriæ,
Avunculiſque par nepos CORNELIIS.
Turpi ſolutus diffluebat otio,
Per tot labores gloriæ partæ immemor,
Suiſque fatis invidens Antonius.
Ac bella dum legatis mandat Parthica :
Pacorumque fidâ Ventidî cædit manu :
Ipſe muliebri ſub conopeo accubans,

Indulget epulis : atque mimis ebrius
Interdiu noctuque gestit plaudere.
Nunc tela, melius barbarorum sanguine
Tingenda, vertit in feras : nunc textili;
Lino implicare squameos certat greges,
Aut insidiosa trahere deceptos dape.
Hos ille Bruti victor atque Cassii,
Hos ille Cæsaris ultor, & Augusti æmulus,
Captat triumphos. Omnibus præ laureis
Detracta fronti Cleopatræ myrtus placet.
At illecebris maximum quamquam Ducem
Superba mulier gaudeat victum suis :
Dolet tamen quod orbis, quem solus potest
Habere, partem sponte cedat alteri :
Ferensque socium, se parem imperio neget.
Nec deest Amantis, quum dat sese occasio,
Ad arma resides excitare spiritus.
Vicina quondam fluminis sub ostia
Uterque solito more piscatum iverant.
Et erat inanis grande ludi præmium.
Superatus illo non semel certamine,
Sortisque metuens nunc quoque adversæ vices,
Cæcis Triumvir præcipit sub fluctibus
Urinatorem clam natare callidum :
Suæque pisces figere emtos lineæ.
Quo munere plausum victor & palmam tulit.
Nec fraus diu, gratusque Reginam dolus
Latuere. Quis enim verba feminæ daret
Et Amanti, & assuetæ Phariis artibus ?
Fingit tamen nescire : & in perendinum
Nova exultantem sponsione provocat.
Aulæ utriusque magna fit concursio :
Ripasque complent hinc & hinc Ægyptii,
Italique proceres : velut eo certamine
Fortuna verteretur & fatum Imperî.
Ipsi phaselum puppe proraque aureis,

Velo ſuperbam ſerico, adnixi regunt,
Undaſque remis verberant argenteis.
Provecti medio in amne, figunt anchoram.
Cleopatra prorâ, puppe ſedet Antonius,
Umbella gemmis texta quos tegit ſuper.
Hami inſtruuntur pabulis fallacibus,
Et in profundum demittuntur gurgitem.
Metum inter & ſpem comites ſuſpenſi ſilent,
Favorque votis ſcinditur contrariis.
Interea viſa ter quaterque concuti
Nutante calamo linea Romani Ducis.
At ille nil cunctatus, impigre trahit
Inuſitato degravata pondere.
Simul adulantum clamor ingens tollitur;
Plauſuque colles & cavæ ripæ fremunt.
Sed quis ſtupor deinde corripuit virum,
Cùm maceratam fumo & intrito ſale
Pendere filis vidit halecem ſuis!
Auget ruborem riſu Cleopatra improbo:
Fraudemque fraude vindicaſſe glorians:
Quin tu, inquit, Imperator, hamos, lineas,
Calamoſque nobis linque. Vi capere oppida,
Domare gentes, imperare Regibus,
Toto orbe ferre jura, ſit tuus labor.
Piſcari ſic fas, ſic decorum Antonio eſt.






AQUILA ET TROCHILUS.

AD PETRUM BESNERIUM S. J.

FABULA XVII.

Sagacitatem mentis & solertiam,
Plus vastitate viribusque corporis
Prodesse, lepido Fabula exemplo docet.
Cùm gens volantum de creando Principe
Deliberaret comitiis frequentibus;
Aquilamque solio publicus ferret favor:
Sibi petivit Trochilus id honoris dari.
Exsibilata est ambitio præpostera.
Vilique indignans Aquila certare æmulo:
Frustumne volucris, inquit, quod Ciconiæ
Gruesque cedunt, adimet imperium mihi?
Et unde venit hæc ei fiducia?
Non pennæ, non vis ulla rostri & unguium:
Quæratque, quisquis audiat cantus, ubi est.
Cui Trochilus, Parce contumeliis, ait,
Rostrumque & ungues ne nimis jacta tuos.
Feritatis arma sunt hæc, & tyrannidis;
Quæ quid sumus passuri, si regnes, docent.
Sed age, volando plurimùm quoniam vales,

Dirimatur isto tanta lis certamine.
Quique altiùs feretur, is demum imperet.
Cunctis probata, displicet Armigeræ Jovis
Conditio. Grandis, inquit, & victum manet
Te gloria : mihi vincere vertetur probro.
Sed quando cives sic volunt, sic & jubent :
Eatur. Alas simul immensas explicans,
Parthi sagittâ leviùs ex oculis fugit,
Intraque cæli sese condit nubila.
Jamque increpare tarditatis æmulum,
Pœnam & minari cœperat vecordiæ.
Cùm derepente visus est supra caput
Volitare Trochilus, atque festo carmine
Omnem triumphans latè complere aëra.
Ardens cupido gloriæ quid non potest!
Aquilæ imprudentis ille dorso sederat :
Ejusque abutens in suam rem viribus,
Natura quod negabat, ingenio tulit.
Et meruit, ultro cunctis applaudentibus,
Verso vocari Rex volucrum nomine.






LEO PATRIS ULTOR.

AD SERENISSIMUM DELPHINUM.

FABULA XVIII.

Leo Africanæ non levis plagæ timor,
Cùm sanguinis pertæsus atque cædium,
Pacem dedisset ultro victis hostibus,
Laudem æquitatis tulerat & clementiæ.
Ejusque tuti sub fide errabant greges:
Passimque pecudes dulce habebat otium.
Felicitatis sed citò amentes suæ
Pœnituit. Ille cujus ad vestigia
Feræ majores sueverant tremiscere,
Cujusque pastor fulgura horrebat Nomas;
Jam fractus animo viribusque creditur.
Interpretantur lenitatem inertiam:
Et quòd nocere nolit, posse pernegant.
Hinc coitiones, & secreta fœdera,
Et spes inustum obliterandi dedecus.
Torvùm renidet ad inopinam rem Leo:

Jubamque quaſſans, Diſcite, temerarii,
Periculoſæ quàm ſit, inquit, aleæ,
Noſtram quietem rumpere. ad bellum ſimul
Acuebat ungues. Cui Catulus haud degener,
Et par brevi futurus, Hunc me ſumere
Potiùs laborem, ni vetas, inquit, decet.
Hoſtem ſuperbum congrediens reddas, Pater.
Minor ira fuerit ejus in pœnam ſatis.
Aſſenſit auſis Rex ſilvarum fortibus,
In prole gaudens denuo juveneſcere.
Atque ille factis ſpe data majoribus
Patrem probavit. Quo fugacibus lupis
Ardore ludens inſtitit, Pardos, Tygres,
Urſos, Hyænas, non veretur aggredi.
Hos dente frangit, hos diſcerpit falculis,
Tonantis illos oris exanimat ſono.
Nil luſtra proſunt, nil ſolo infoſſæ ſpecus,
Altiſve cincta fluminibus cubilia.
Uſque adeo terror animos & fugam abſtulit.
Quæ cùm videret, plena Phœbi numine
Dixiſſe Cornix fertur: O ſtultum genus.
Dum geſtit iras unius laceſſere,
Cladem Leones in ſuam excivit duos.
Fabella quid demonſtret, auſpiciis Patris
LODOICUS alter, victor ad Rhenum, docet.




FŒDUS CANUM CUM LUPIS.

FABULA XIX.

CANES molossos ad domûs custodiam,
Gregisque, alebat Pastor, implacidum genus,
Etiamque dominis pertimescendum suis.
Quamquam ille mitigari blanditiis truces,
Offisque posse pinguibus speraverat:
Frustra. animus inde est redditus ferocior.
Adeoque rabies crevit, ut latratibus
Aures molestis non contenti lædere,
Dentes in ipsum identidem distringerent.
Dixere amici: Cur immanes belluas
Fovere pergis? dum licet, vi comprime,
Ac te tuosque libera periculo.
Nativa sed enim respuit benignitas
Monitus salubres: & malè indulgens sibi,
Pedum esse credit, loraque minari satis.
Suspecta Canibus hæc tamen clementia.
Eò acrioris iræ signum judicant,
Quò conderetur altiùs sub pectore.
Ergo occupare, ne prior ipsos occupet,
Scelus & tueri scelere majori parant.
Pacti cædem Ovium, fœdus ineunt cum Lupis.
Atque illi ovantes dant & accipiunt fidem;
Operamque fortem, religiosè scilicet,
Se præstituros fas per omne dejerant.
Neque verò deesse tempori & loco sinat

Prædæ cupido, diraque cruoris sitis.
Pastor vagum de more servabat gregem,
Silvestri avena seque & illum recreans.
Juxtà accubabant hinc & hinc strati Canes,
Placido tegentes ore mentem perfidam.
Cùm sub propinquo litore apparent Lupi.
Surgere latrantes protinus, & celeri pede
Volare, hostilem ceu repressuri impetum.
Ipse addit animos & manu, & clamoribus:
Sumtoque telo sequitur ignarus doli.
At quanta deinde cepit indignatio
Cernentem amicis se salutare osculis,
Mulcere caudâ blandos, gratari invicem,
Campoque junctis exultare viribus!
Tum lenitatis denique pœnituit suæ.
Et, ni furentum rabiem elusisset fugâ,
Fati futurus horridi exemplum fuit.
Custode pulso flebile latrones pecus
Rapiunt, & Agnos pariter atque Oves necant;
Quarum una moriens dixit ore præscio:
Coalita scelere stare nescit societas.
Canibus redibit & Lupis vetus odium;
Sævisque mandent mutuò se dentibus.
Lætare, Pastor, tua propinquat ultio.





ACUS NAUTICA ET GUBERNACULUM.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

LUDOV. VERJUSIUM

Creciaci Comitem, Regi à Consiliis & Secretioribus Epistolis, ejusque ad Comitia Germaniæ cum summa potestate legatum.

FABULA XX.

ONUSTA Navis exuviis Peruviæ
Atlantici secabat undas æquoris.
Ridebat æther, & levi Favonius
Crispans flabello maria, cursus prosperi
Spem certam avaris fecerat vectoribus.
Et jam licebat Africæ litus procul,
Metasque duplices cernere, tropæa Herculis.
Cùm livor, & cupido dominandi impotens,
Discrimen adduxere res in ultimum.
Acûs marinæ gloria Gubernaculum
Jampridem urebat, mente non æqua ferens,

Quas dederat olim, nunc redactum in ordinem,
Accipere leges, atque servire alteri.
Hinc in querelas effundens se amariùs
Stridebat: Alios regere, non regi, meum est:
Id juris ipsum nomen certè vindicat.
Mihine honores futilis Acus debitos
Præripiet? At non illa, luctans fluctibus,
Ad cæca pinum vetuit illidi vada.
Non opportunis circumegit flexibus
Dubium tenentem saxa per & aras iter.
Sed molle delicata duxit otium
Eburna in arce, fornice sub crystallino,
Exors laboris pariter & periculi.
Ergo procellis, & furori turbinum
Dum noctu decertamus ac interdiu,
Redimendo nostris naufragium dispendiis;
Desidiæ regnum merces & luxûs erit?
Dedecora sed privata quid queri attinet!
Commune probrum est. Vela laxentur truci
Laceranda Boreæ: grandinem & pluvias ferant:
Gemantque tortis pendula è rudentibus:
Regina jussit. Tuque Bracteola agilis,
Cui nosse motus aëris varios datum;
Quæque ingruentem longè hiemem prænuncias:
Serva, & perennes pervigil excubias age:
Ne quo tumultu Dominæ turbetur quies;
Neu cari amore distrahatur sideris.
Hæc patimur, & siletis? Immo pristinæ
Si quis etiamnum gloriæ est sensus super,
Excutite tandem turpe servitii jugum:
Vetusque, me ductore, jus defendite.
Effutienti talia, media in die,
Nox pelagus improvisa, cælumque eripit.
Furit unda, ruptis fulgura micant ignibus,
Ruensque ab omni cardine tempestas sonat.
Tum verò patuit, cæca quantùm temeritas

Rationi distet. Ille stridulus Vigil,
Qui se arboris jactabat in fastigio,
Apicem superbum purpurâ aureque illitus;
Cunctosque despectabat uno stans pede:
Primum ad procellæ murmur, expers consilî,
Amensque, subita redditur vertigine.
Confusa rapidis vela dant ludum Notis,
Navimque fessam pondere inclinant suo.
Ipse adeo opaca Clavus in caligine,
Incertus in quas cursum partes dirigat,
Modò huc, modò illuc, lege nulla flectitur,
Agitque gyros, & viam remetiens,
Puppi reducta, quas petit terras fugit.
Interea Cuspis, Ursæ amica lucidæ,
Rebellium labores nisusque irritos,
Instansque ab alto viderat periculum.
Fremit, & revinctum lilio quassans caput,
Huc nos, superbi, vester, ait, tulit furor.
Vis nulla assultus turbinum jam sustinet.
Hinc æquor aperit gurgites, inde æquore
Magis timendum litus syrtes occulit.
Utrimque funus, utrimque desperatio.
Tamen salubres si placet nunc denique
Audire monitus; rebus afflictis opem
Præstare nostra fors poterit industria.
Detracta summis lintea antennis cadant.
Tu, Clave, eumdem fac teneas rectus statum,
Ne quassa fluctu latera solvantur ratis.
Jubeo fideli Pinnulam versatilem
Referre studio, quid Aquilones cogitent;
Quas inquietus Auster intentet minas.
Parent: ambitio quippe metui cesserat.
Portumque cepit obsequens modestia,
Quem turbulenta cupiditas præcluserat.

Hæc fabula docet, VERJUSI, florescere,

Fortuna

Fortuna quicquid moverit, Rempublicam:
Cùm quiſque partes ſub ſapienti Principe,
Munuſque proprium, ſtrenuè implet, ut facis.
Aſt interire ſæpe Miniſtrorum ambitu,
Sumtaque temere de ſeipſis fiducia.
Eſt interim unde gratuleris Galliæ:
Cui, REGE MAGNO, hæc contigit felicitas,
Ut imperari nec queat prudentiùs,
Majore nec pareri diligentia.
Regiminis æquat gloriam obſequii fides,





CATELLA ÆGROTANS.

AD ILL. VIRUM LUDOVICUM BONTEMPS; VERSALLIARUM PALATIO PRÆFECTUM.

FABULA XXI.

PROBITATIS, & candoris antiqui unicum,
LUDOVICE, ſpecimen; aula quem nunquam ſuo
Inficere fuco, nec malis ſæclum artibus
Mutare potuit : Muſa ſi Verſallias,
Miraculum orbis, ruſtica audet ingredi;
Magnique ab ore non veretur Principis,
Te paululum avocare, peccatum tuum eſt.
Minùs pudentem tua nam fecit comitas.
Scit quo favore luſus excipias ſuos :

Ut fabulis, quas more Phædri ſcriptitat,
Dare nemo plauſum te ſoleat impenſiùs.
Ergo, tueri judicium ſi non piget
De ſe tuum, precatur: hos etiam velis
Benignè Iambos qualeſcumque cernere.
Nam certa ſedit pectori fiducia,
Nulli improbandos eſſe quos probaveris.
Catella delicatæ matronæ fuit,
Arguta, ſima, criſpa, prorſus mel merum,
Meri lepores: nata quam plus unica,
Pluſque adeo ocellis deperibat propriis.
Perpaſta lautiùs, atque luxu obeſior,
Ea cœpit ægrotare, & oblatas dapes
Faſtidiosè nauſeans relinquere.
Rumor domi ingens atque conſternatio;
Veluti ageretur Patris-familias ſalus.
Trepidè vocantur Medici, capita conferunt.
Eſt qui lienem noxia fuligine
Immodicè tumidum morbi cauſam dejeret.
Aſt bilis alter vitreæ vitium putat.
Hi vomitu, illi clyſtere purgari jubent.
Remedia nulla priſtinam expediunt famem.
Matrona noctes ac dies ægram ſinu
Complexa luget; quaque fas eſt, mollibus
Recreare tentat oſculis. Hinc ad Deos
Converſa, taurum Phœbo candidum vovet,
Niveumque galli filium Æſculapio,
Suos amores ſi propitii ſoſpitent.
Has nænias audivit è vicinia,
Lucrumque odorans naribus emunctis Anus,
Haud inficetam comminiſcitur ſtropham.
Accedit: &, Deterge, dixit, lacrimas:
Incolume reddam delicium tuum tibi.
Scio lecta ſub creſcentis Lunæ ſidere
Quid herba valeat. &, ſi id uſus poſtulet,
Non deerit herbâ carmen efficacius.

Dicentis ad promissa mulier gaudio
Exclamat : Hac spe restituis vitam mihi.
Simul crumenam porrigens numis gravem :
Grati istud animi tenue pignus, interim
Majora dum parantur, inquit, accipe.
Illa abnuenti similis, aurum dexterâ,
Lævâ Catellam corripiens abit domum.
Ibi ah ! misellæ pro cubili plumeo
Carex acuta sparsa stipula sternitur.
Pro crustulis stant frusta panis rancidi,
Et sordida lutosus in testa latex :
Primoribus quæ labris ne tangit quidem,
Olfacere vix dignatur; atque horrens fugit.
Neque hic laboris & malorum finis est.
Ululanti, heræque stridulis latratibus
Opem vocanti, pessima intentat minas :
Questusque verbis cohibet & flagris Anus.
Jamque sine pastu tertia exierat dies,
Et nil Catellæ contumax jejunium
Nisi pellem & ossa præ macie reliquerat.
Vitæ cupido quid suadere non potest !
Principio micas temere dispersas humi
Furtim ore lambit, & videri se timet.
Mox dura teneris frusta rodit dentibus,
Morsuque crebro ægrè subacta devorat.
Nec jam studet latere : quippe illi procul
Stultum pudorem reppulit necessitas.
Sed usque Vetulam blandiens circumsilit,
Mollique caudæ verbere, & gannit bus,
Et supplice oculo postulat panem dari.
Ne te morer loquendo ; Dominæ reddita,
Pæne ejus unà cum dape oblata manum,
Usque adeo edendi furit amor, deglutiit.
Ludovice, quid ais ? Credo, rides, bestiæ
Insanientem pro salute feminam :
Eamque potiùs utili jejunio

Meruiſſe caſtigari mecum judicas.
Quæ cùm Catellam vitia docuiſſet ſua,
Curavit hæc in illa ſanari ſtatim,
Summa reliquit in ſe negligentia.
Sed blanda Siren mollities, quos occupat
Excæcat animos, & ſui immemores facit.
Tu verò ſi carere vis moleſtiis,
Queis vita premitur, perge temperantiam
Servare. Pœnas dare ſolet luxus graves :
Brevis & voluptas non brevem luctum parit.





GALLUS
SOLI SACER
AD
ILLUSTRISSIMUM VIRUM
LUDOVICUM
DE BOUCHERAT,
FRANCIÆ
CANCELLARIUM.


FABULA XXII.

DELUBRA Soli (Persæ Mithren nominant)
Cùm Cyrus exstruxisset magnis sumtibus;
Magos rogavit quam potiùs ipsi alitem
De more dedicaret. Nam templis Deûm
Sacrare volucres prisca relligio fuit.
Fidenter unus legere Phœnicem jubet.
Simillimum esse Soli, qui sit unicus :
Ejus beatis sponte flammis immori,
Suo & renasci pulcriorem de rogo.

Cui Rex ſubridens, Optime, inquit, admones,
Sed unde petimus hoc avis miraculum,
Quod ſola novit quæ creavit Fabula?
Genti, infit alter, Aquila pennatæ imperat.
Regina volucrum ſiderum regem decet.
Illum irretorto ſola ſpectat lumine;
Et ſola propiùs igneum accedit jubar.
At præda curvis ſemper hæret unguibus,
Cyrus reponit; tingit & roſtrum cruor.
Malè innocenti, beneficoque Numini
Sævitiæ juncta convenit rapacitas.
Exclamat alius: Serò, Rex, deliberas.
Sol orbis oculus ultro Pavonem ſibi
Delegit ipſe proprium, cùm gemmeâ
Tot ferre ſoles & oculos caudâ dedit.
Clamoſus, otioſus mirator ſui,
Hos formæ honores deterit ſuperbia.
Et quale demum eſt, pluma quod facit, decus,
Quod vere primo floret, autumno cadit?
Ingenium Oloris mite plures prædicant,
Moreſque pennis congruentes candidis:
Deberi puram ſideri puro alitem.
Qui niveus extrà eſt, totus eſt intrà niger,
Ingenſque vitium gratus occultat color,
Cambyſe natus excipit. Tum corpori
Nihil vigoris & animi tanto ſubeſt.
Non defuere qui faverent Pſittaco:
Nulli volantum quippe forma cedere,
Longè anteire ceteras facundiâ.
Quis meliùs illo gloriam Mithræ canat,
Sorteſque reddat fidus interpres Dei?
Apage loquacem, garrulæque, Rex ait,
Linguæ imperare neſcium. Silentii
Fidem Deorum poſtulant myſteria.
Æterna inanes mentis odit Mens ſonos.

Dum ſic loquuntur, ecce Gallus [a] in ſacras
Delatus ædes voce ter clara obſtrepit.
Senſiſſe credas Numen. Omine excitus
Proclamat Aſiæ victor : Ulteriùs nefas
Quod dextra nobis ſors tulit, perquirere.
Amicus Ales, conſciuſque ſiderum,
Mithræ injucundum munus eſſe non poteſt.
Aſpicite pulcri quæ ſit oris dignitas;
Inceſſu qualis in gravi fiducia.
Prudens futuri, ſtrenuus, diſcriminis
Contemtor, alieni abſtinens, largus ſui,
Vigil, experrectus, ſolo & aſpectu [b] feros
Fugans leones, Sole ſe dignum probat.
Arcano amoris obligatus vinculo,
Hunc ſervat atque contemplatur unicè:
Hunc noctuque meditatur ac interdiu,
Sectans ubique voce, pennâ, motibus.
Hunc ipſe adorat, utque adorent ſupplices
Ejus jubar cæleſte mortales monet.
Cur ſancta dubitem jura Naturæ ſequi?
Quem dedicavit illa, & ipſe dedico:
Lege eſto Soli Gallus æterna ſacer.
Si fortè quæris pro tua modeſtia,
VIR SUMME, lepida quid velit narratio:
Tibi, me tacente, tota dicet Gallia.

a *Illuſtriſſimo Cancellario Gallus gentilitium inſigne eſt, & heroïcum ſymbolum.*
b *Lucretius.*



MISCELLANEA.



AD

ILLUSTRISS. V.

GUILLELMUM LAMONIUM

SENATUS PRINCIPEM.

POLYCRENE BAVILLANA.

PRINCEPS Maxime Gallici Senatus,
Gratias tibi maximas, LAMONI,
Ago Nympha tui beata ruris;
Et pro nomine quod mihi dedisti,
Quo mutare suum optet Hippocrene:
Et pro carminibus, quibus Poëtæ
Certatim Latiique Gallicique
Æternare meos student honores.
Namque hoc omne decus tuo in me amori
Acceptum refero. Tibi placere,

Si tamen placeo, una nostra laus est.
Hinc sum fontibus invidenda cunctis.
Quin & jam mihi Sequana invidere
Narratur, quòd identidem relicta
Urbe lætus aquas meas revisis.
Sed stulta uritur æmulatione,
(Pace quod dominæ velim esse dictum)
Estque ingrati animi, optimè merentem
De se, tam malè quæ remuneratur.
Æger nam quoties venis ab illa,
Integris toties redis ad illam
Viribus : merito superba nostro est.
Ergo vise frequens tuos amores,
Nec cœptum Boreas iter moretur.
Nam præsens hiemes fugabis atras.
Et quæ nunc pluviis geluque sordent,
Suum restitues aquis nitorem.

EJUSDEM
AD EUMDEM
EXPOSTULATIO.

ASTRÆÆ decus, Arbiterque Legum,
LAMONI, rudis illa, rustica illa
Fe t s Nympha tui, dedit libellum
Ferre ad te mihi supplicem : querelas
Dixissem meliùs. Sed & querelis
Bonus consule, supplici & libello.
Votorum hoc caput & simul dolorum;

Abes, Lamonide, diuque cessas
Amatum reditu beare fontem.
Hinc noctesque diesque lacrimatur:
Hinc per saxa pede asperasque valles
Errat præcipiti, & nihil merentes
Objurgat malè, verberatque fagos.
Jam spumas agit indices furoris:
Tantùm turbat amor! medere amanti;
Et desiderio tui inquietæ,
Redde Naïadi suam quietem.
Sin venire negas, perire certa est,
Aut cæcum sub humo invenire callem,
Quà se Parisios ferat, superbæ
Ut convitia Sequanæ reponat:
Quæ te in urbe diu nimis moratur,
Suas delicias, suosque amores.



AD

SERENISSIMUM PRINCIPEM


CONDÆUM

RHENI

LIBELLUS SUPPLEX.

Invictissime Borbonî nepotum,
Seu tu Gallicus Hercules vocaris,
Seu Mars Franciadum, Arbiterque belli:
Rhenus Teutonicique Gallicique

Quondam limitis, Imperîque custos;
Nunc ripam per utramque liliorum
Auratosque rigans colensque flores,
Ultro fert tibi supplicem libellum,
Hostili modo sanguine exaratum,
Cui subscribere non stilo, sed ense
Ut, CONDÆE, tuo velis, precatur.
Ac ne te morer, illa summa voti est:
Indignos dominos, jugumque turpe,
Et quicquid reliquum est adhuc Batavi
Nobis servitii eximas: nec ultra
Captivam ire sinas sub æquor undam.
  Non injusta peto. Sicamber oras
Has enim Pharamundus obtinebat,
Cùm pulsis Aquilis ad arma gentes,
Franco nomine, liberas vocaret.
Ad priscos liceat redire cives,
Sub priscas liceat redire leges.
Sic Natum videas Pater triumphos
Exæquare tuos, Avus Nepotem.
Nec longa est opus expeditione.
Restant oppida pauca, quæ minaces
Non ferent oculos; manuque forti
Vix impulsa, solo dabunt ruinam.
Certè dum legitur tibi hic libellus,
Jam ferè poteras patrasse bellum.





CONDÆUS PISCATOR.


QUIS hoc ferre poteſt, quis intueri?
Ille maximus Imperator, ille
Alcide melior, Deoque Thracum,
CONDÆUS, Batavis repentè in oris
Piſcator memoratur eſſe factus.
Nec jam celſus equo fremente circum
Armatas acies obire ut antè,
Caſtrorum immemor, immemorque campi,
Sed alno vada, ſutilique pinu,
Scrutari lacuum humidos receſſus.
Huc illum furor hoſtium redegit,
Dum mergunt patriam ſuam ſub undis:
Atque diluvie hinc & hinc refuſa
Eheu! naufragio petunt ſalutem.
Nunc ergo unicus ille victor, ille
Tot palmis decoratus ac triumphis,
Piſcatu aſſiduo fatigat amnes,
Et ſua Batavum æmulatur arte.
Quamquam retia piſcibus minutis
Fugit tendere, ſquameumque vulgus
Sectari illicibus recuſat hamis.
Dignos Principe captat ille piſces,
Et quos appoſuiſſe LUDOVICO
Ingratum haud fuerit nec indecorum:
Arces ſcilicet atque civitates,
Submerſas maris obrutaſque fluctu.
O prædam eximiam atque delicatam!

At vos æquorei timete cives.
Piſcator meus haud quieſcet, Hagam
Donec ceperit, Amſtelodamumque.



AD LINUM.

O Rem mirificam, LINE, & ſtupendam
Ille Belga meus tuuſque, pictor
Eſt de grammatico repentè factus.
Et jam Parrhaſioſque, Zeuxidaſque,
Credit æquiparare penicillo:
Nec ipſum timet æmulari Apellem.
Artis unde novæ nova hæc cupido?
Cryſtalli in glacie nitentis ora
Rugis ah! miſer exarata vidit,
Quas anum pudeat ſuas fateri:
Fumoſamque cutem, nigroſque dentes,
Et tota innumerabiles lacunas
Hiantes facie, hiſpidamque barbam,
Naſumque obvia menta baſiantem.
Vidit, erubuitque Belga noſter.
Mox dante ingenium pudore, turpes
Cunctis inſtitit applicare larvas,
Novaſque effigies, novoſque vultus
Protervo fabricare penicillo:
Ut cognoſcere nemo ſe valeret.
Hoc fecit ſtolidè, inquis: immo acutè.
Nam ducens ſimiles ſuæ figuras,
Turpis deſiit unicè videri,
Et jam Belga poteſt ſibi placere.





IN
ADAMUM KEDDUM

Celsissimi Principis CHRISTOPHORI BERNARDI Monasteriensis Episcopi proditorem.

SALVO Principe, salva quid moraris,
Mimigarda [a], Deo referre grates
Custodi Patriæque Principisque:
Quos involvere parricida tecum
Et fato & tumulo parabat uno?
Ah! sæcli opprobrium scelusque nostri!
Heroum genitrix, parensque Divûm,
Potes degeneri creasse partu
Monstrum, cui feritate comparari
Haud Cacus velit, haud velit Procrustes!
Ut sic proditione te nefanda
Pæne fecerit impius nocentem!
  Sed diri invidiam probrumque facti
Abstersit tibi proprio cruore,
Teque funere fecit innocentem.
Tortoris gladio caput recisum,
Qua vivus meruisset ipse frangi,
Stat rotam super excubans, suisque
Nota civibus ora præbet: ora
Edictura malis metum atque mortes,
Bonis lætitiam & beatitatem.

a Ita Monasterium VVestphaliæ vocant.

Turpi membra jugo revulsa pendent,
Ventis ludibrium & jocus protervis.
Quæ circumvolitans & hinc & illinc
Corvorum fera turba vulturumque,
Rostris assiduè unguibusque carpit:
Non sine invidia canum, solutam
Lambentum saniem, atque putre virus.
Sic post fata etiam sibi remissum
Pendit supplicium, luitque pœnas
Quas clementia mollior levarat.
Et impune ferent, probare tantum
Qui nefas potuere, præmiisque
Illexere animum & manus latronis?
Non sic futile fulmen, & retusum
Fert ensem Themis otiosa. Sed tu
Salvo Principe, salva ne moreris,
Mimigarda, Deo referre grates.



MUSCA

IN ÆNIGMATE

Sub persona Herodiadis saltantis ADUMBRATA.

INSECTUM petulans, proterva Musca,
Harpyiaque, famelicoque milvo,
Et rapax magis & magis gulosa,
Et pudens minùs & minùs modesta;
Sanguisuga minor, volans hirudo,
Fumosæ hospita concolor culinæ,

Vermis filia, vermiumque mater:
Tune cum pedibus tuis, ſceleſta,
Imbutis ſcabie atque purulentis;
Illo cum ore tuo fimetum olente,
Regales petis, inquinaſque menſas?
Nec repulſa fugis, ſed uſque & uſque
Ad prædam revolas: licèt minetur
Myrteo puer increpans flagello.
Nec caudam volucris times ſuperbæ,
Nec ſtili exitium ferentis ictus?
  Nempe dulce videtur ac decorum,
Aureis ſaturam immori catinis,
Et confundere ſanguinem Lyæo.
Verùm te ratio fugit: neque illa,
Quod cupis miſerè, frui licebit
Tam dulci nece tamque delicata.
Pendebis laqueo implicata triſti,
Quem noctéſque dieſque nens Arachne
Feſtinat tibi ſupplicî ſatelles.
O! ut te pede proteret ſuperbo!
Ut te proſubiget modò huc, modò illuc
Verſans; ut calidum obbibet cruorem!
Unco deinde trahens cadaver ungui
Auræ ludibrium dabit: vel ipſum
Formicis, tineiſque, vermibuſque,
Belli materiam gravis relinquet.
  At hoc interea Cicada carmen
Alludens canet: Improba illa Muſca,
Quæ turbaverat omnibus quietem,
Nec cùm vivere deſiit, quieſcit.





AD

ILLUSTRISS. VIRUM

LUDOVICUM HENRICUM

LOMENIUM

BRIENNÆ COMITEM,

De Tachylla Equa ab eo venustissimis versibus celebrata.

ADESTE alipedes equæ quot estis,
Seu vos Thracia, Thessalæque valles
Seu vos Ausonia, Appulique campi,
Seu tulit Libye, Tagusve ripis
Vidit aurifer anteire cursu
Parentis Zephyri leves volatus.
Mei cedite LOMENÎ Tachyllæ,
Heri deliciis sui Tachyllæ.
Cui nec cedere, qui polo gemellum
Tulit Castora, Cyllarus recuset:
Nec cognomine qui sepultus urbe
Victor sub domini jacet tropæis:
Nec qui marmorea superbus aula
Et præsepibus aureis, tumensque
In ostro trabeaque, consulares
Tantùm non meruit notare fastos

Cæsaris socius, caputque mundi
Vidit pæne suis regi lupatis.
Regum dignior est Tachylla amore,
Regum dignior est Tachylla honore:
Nam sub quadrupedis tegit figura
Mentem, quæque potest amore duci,
Dato quæque potest honore tangi.
Quippe heri placidos heræque mores
Dum felix equa discit æmulari,
Seque de[illegible]idicit suosque mores.
Hanc ne tollere mors avara possit,
Æternas memori BRIENNA versu,
Quo cani velit, Issa Martialis,
Et Passer teneri jocus Catulli.
Nam Verona licèt, suoque Vati
Favens Bilbilis abnuat fateri:
Tantùm, judice me, tibi Catullus,
Tantùm cesserit ipse Martialis,
Quantùm passer equæ & catella cedit.

AD

EUMDEM

Cùm ei suos in Tachyllam phaleucos mitteret.

EPISTOLIUM.

VERSUS, LOMENIDE, nec elegantes
Nec tersos satis aut laboriosos;
Longeque iis lepidissimis phaleucis,
Quos misti mihi, dispares, remitto.

Sed tamen quia ſunt mei, benigno
Illos accipies legeſque vultu :
Et forſan quia ſunt mei, placebunt.
Imò ſunt potiùs tui : Poëta
Nil enim ſuum habet ; ſed ipſe tantùm
Eſſe avet tuus, & tuus vocari.



AD

ILLUSTRISS. VIRUM

N. BERTHALDUM

IN SUPREMA

PARISIENSI CURIA

SENATOREM.

FINGERE hendecaſyllabos volebam,
Dulces, molliculos, tenellulosque,
Et non diſſimiles Lomenianis,
Et prorſus ſimiles Catullianis.
Sed longè ratio me, Amice, fugit.
Nam pro blanditiis, meriſque ludis
Quos venuſtæ equulæ jocans parabam,
Fudi grandiloquum repentè carmen,
Quod Lucano etiam placere poſſit.
Dic, BERTHALDE, quid hoc rei eſſe cenſes ?
Non monſtrum tibi maximum videtur ?
Afflavit tumidi aura me Poëtæ,
Equamque indomitam ſtatim creavi.





AD

TACHYLLAM POETRIAM.

Cùm Tachyllæ nomine verſus à nonnullis ſcripti eſſent.

OHE jam ſatis eſt, ohe, Tachylla.
Ineptè facis & parum modeſtè,
Quæ te vis etiam inſeri Poëtis.
Hoc nec Pegaſus expetivit unquam:
Quamvis incola municepſque Pindi
Non ſemel folium ſacræ momordit
Laurûs, atque ſuam ſiticuloſis
Sæpe faucibus hauſit Hippocrenen.
Fert dorſo ille quidem & refert Poëtas,
Hinnitque ad placitos ſalitque cantus,
Sed contendere non amat Poëtis,
Nec tentat numeros ſibi negatos.
Eſtque in hoc ſapiens ſupra caballum,
Qui Vatis titulos decuſque, nunquam
Hordei modio æſtimarit uno.
Et tu ſi ſapis, ô Tachylla, ab iſto
Parnaſſi tibi plus timebis oëſtro,
Quàm à crabronibus acribuſque aſilis,
Fuciſque omnibus, omnibuſque veſpis.
Quippe huc denique tota res redibit.
Pro largis cyathis meri Lyæi,
Pro mulſo, laganiſque cruſtuliſque,

Quæ ad menſam domini beata guſtas ;
Cogeris paleas vorare putres,
Et malè in ſtabulo cubare olenti,
Cum mulis, aſiniſque, mannuliſque,
Qui te calcibus impetent protervis.
Hæ nam deliciæ manent Poëtas.
Quare crede mihi, Tachylla, parce
Illis deinde ſuam invidere ſortem :
Nam rectè rationibus putatis,
Multò præſtat equum eſſe quàm Poëtam.





AD

ILLUSTRISS. VIRUM

CAROLUM FERRARIUM TOTIUM

SENATOREM ROTOMAGENSEM,

Cùm ei librum de bonis Senectutis ab I. V. D. P. ſcriptum remitteret,

EPISTOLIUM.

REMITTO aureolum tibi libellum,
Dignum pyxide cedrina libellum
Sacras Mnemoſynæ recondi in ædes,
Cum Bruto, Senecaque, Tullioque,
Et Catonibus, & Platone magno.
Nam nil dulcius & magis venuſtum:
Nil eſt ſanctius & magis ſeverum.
Seu luxus hominum, improboſque amores,
Et raptam ante diem arguit juventam;
Seu certam docet innocente vita
Parari ſenibus beatitatem.
Hoc noctesque dieſque lectitando,

Q

FERRARI, didicisse non pigebit,
Quòd te olim nive candidum verenda,
Ætatis vetet invidere flori.
Ac ne fòrs metuas fidem libello
Imprudens adhibere, cerne felix
Auctoris senium: aureus libellus
Nam quicquid docet, auctor experitur.



DE SUAVISSIMIS PHALEUCIS

Quos PHILIPPUS LABBEUS è Soc. JESU, febre continua æstuans, paulò ante mortem fudit.

DUM venis furit æstuosa febris,
Et lentis coquit ignibus medullas,
LABBEUS canit, & suos tenellis
Mulcet hendecasyllabis labores:
Mortisque immemor imminentis, ore
Nil mortale sonat: tibique, CHRISTE;
Tibi, Virgo parens, dicat vicissim
Doloresque suos, suosque amores.
Hos æger gemitus trahit canendo;
Has nocte atque die ciet querelas.
Felices gemitus, pias querelas,
Quæ vincant numeros suaviores!
O dulcis furor! ô Poëta felix!
Quanquam cur voco LABBEUM Poëtam?
Curas, si sapiunt, suasque flammas
Flent in funere, non canunt, Poëtæ.






IN
OLIVARIUM
CROMUELLIUM,

Cujus in equo ſedentis, & ad bellum procincti, imago circumferebatur.

SÆCLI Procruſten, atque Buſirim ſui,
Suique lanium Regis, & furiam Angliæ,
Hac in tabella CROMUELLIUM vides.
Proh ! quanta vultu torvitas & picto ineſt.
Geminus cometes vibrat ex oculis facem
Mundo tremendam. Pendet in ferrum manus,
Dum pervicaci frons ſupercilio minas
Intentat aſtris ; oſque vel mutum probris
Superos laceſſit. Cerne, quadrupedem ut pudet
Dorſo tyrannum ferre ; ut indignos pati
Frænos recuſat. Macte, Bucephali nepos :
Sic uſque volucrem provocans curſu Notum
Poſt te relinquas. Sterne latronem ſolo,
Crebraque tunde calce funeſtum caput :
Tuumque pariter excute, & mundi jugum.
Aut per ſalebras, perque ſentes aſperos
Raptata differ membra, & in partes trahe.
Ita promereri ſcilicet ſolus potes,
Tibi dividendum cum tribus ſociis decus.





PARODIA ANTIRRHETICA

Ad virulentissimum Scazontem, quem Josephus Scaliger Româ discedens effudit.

Felix sepulcrum perfidæ vetustatis,
Origo pura sanctitatis & veri,
Et Roma Româ major, & tui victrix,
Et dicta verè Roma nunc caput mundi,
Ipsique leges atque jura dans cælo.
Urbs usque Ditis ictibus lacessita,
Sed usque temnens Ditis irritos ictus:
Quæ cincta fæce gentium profanarum,
Perstas Deo fidelis, & tibi suppar:
Sub sede Petri petra semper immota.
Salve pudoris urbs magistra, rectique;
Rectum & pudorem moribus docens castis;
Censura viva Januæ [a] meretricis;
Ancilla quondam, nuncque domina fortunæ;
Laboriosa pacis aureæ custos;
Spectabilis pudica Numinis conjux.
Salve beata, consecrata, cælestis,
Divina. Quippe, quid tuas morer Divis
Æquare laudes; quando jam facis Divos?

a Geneva sic à vetustis Scriptoribus dicitur.





AD

SERENISSIMUM

DELPHINUM


SYMBOLUM HEROICUM.

REX APVM, QVEM EXAMINA comitantur.

LEMMA.

OMNIA IN VNO.

MELLITÆ volucres, apes tenellæ,
Quibus vel thyma, floreamve messem
Decerpsisse labor : citæ huc quot estis
Obstrepentibus advolate pennis.
Vobis ecce novus, rigens & auro,
Rex adest : licet esse jam quietis.
Nec, deforme pecus, timete fucos.
Hic alis teget, & teget lacertis.
Nec jam opus violis rosisque fusum
Nectar quærere roscidos per hortos.
H c & materiam dabit laboris,
Et simul pretium dabit labori.
Denique *omnia* suppetent *in uno*.



AD

ILLUSTRISS. VIRUM

CLAUDIUM

PELLOT

SENATUS ROTOMAGENSIS

PRINCIPEM.

SYMBOLUM.

SOL IN LIBRA.

LEMMA.

OMNIBUS EX ÆQUO.

CUM ſubit æthereæ ſidus ſpectabile Libræ,
Et cæli medio Phœbus in orbe ſedet:
Omnibus ex æquo luces diſpenſat & umbras,
Temperat & noctem lance diemque pari.
Nec magis auriferos pronus declinat ad Indos,
Quàm verſus Scythicæ barbara teſqua plagæ.
Hoc ſpecimen, PELLOTE, tuæ mirabile in omnes
Juſtitiæ nobis myſtica ſigna ferunt.
Non fortuna tuam flectunt, non munera libram:
Ac te Jus unum præſide pondus habet.



AD

ILL. ECCL. P.

GABRIELEM DE ROQUETTE

ÆDUORUM EPISCOPUM.

SYMBOLUM.

RUPES AC STELLÆ SCUTO ejus gentilitio impressæ.

LEMMA.

CUM SOLIDO FULGOR.

QUòd stellæ summo clypei sub vertice fulgent,
Statque infra rupes pondere nixa suo:
Pingentis specimen quis credat futile dextræ?
Oracli hæc, PRÆSUL, non levis instar habent.
Ingenium moresque tuos effingere Vates
Non potuit: signis exprimit illa suis.
Ignea vis animo est, calor igneus: & tamen isto
Ultra æquos fines non potes igne rapi.
Præcipites motus gravitas matura coërcet,
Et luci pulcro fœdere pondus inest:
Fortunent alios errantia sidera: junctus
Nos *solido fulgor*, flammaque fixa regat.





AD

JOANNEM PINETAM COLLEGII PARISIENSIS S. J. RECTOREM

Ex difficili morbo convaleſcentem.

QUum tibi torreret febris lento igne medullas,
Et quateret feſſum tuſſis anhela latus,
Non ſolos dolor afflixit, PINETA, Sodales :
Ipſa elementa ſuis indoluere malis.
Luxit humus, mæſtos æther ſe ſolvit in imbres,
Speſque anni viſa eſt te moriente mori.
Ut primùm cœpere redire in pectora vires,
Lux rediit cælo, reddita vita ſolo eſt.
Cuncta Deo debent, te ſoſpite, ſolvere grates,
Pendebant fatis publica fata tuis.






NOBILISSIMO PUERO CLAUDIO LE BLANC

Q. HORATII FLACCI CARMINA, PRO AGONE PUBLICO, eruditè juxtà & eleganter explicanti, GRATULATIO.


AUGUSTI tenuit numerosus Horatius aures,
Dum caneret Latiâ bella virosque lyrâ.
Rerum idem dominam blanda vi perpulit urbem
Ferre suos monitus, ingenuosque sales.
Scilicet omne unus punctum tulit, utile dulci
Miscens, & lepidis seria dicta jocis.
Fortunate Puer! tantum qui pectore Vatem
Sic capis, ut possis dicere jure tuum.
In te adeo illius mirari jam licet artes,
Et natum studiis mitibus ingenium.
Credo equidem, ut Cæsar Flaccum, sic Cæsare major
Delicias LUDOVIX te volet esse suas.





IN ULMOS QUÆ CALVINIANAM SYNAGOGAM INUMBRANT.

ULMI infelices, quæ vos manus impia adegit
Hæc circum invitis lustra virere comis!
Nam mihi tristitiâ rami languere videntur,
Et gemitu tacito frons agitata queri.
Agnosco, lenæ obscœnum servare cubile,
Prostibulique nefas occuluisse pudet.
Et votum est ima penitus radice revulsas
Damnatum Superis deseruisse solum.
Quod quia fata negant, veniat flamma æthere vindex,
Et det vos merito templa cremare rogo.




AD APES.

Ut Sileni Asino rursus in Parnassum irrumpenti ne parcant.

MELLIS artifices, colonæ Hymetti,
Queis Phœbi per amæna fas vireta,
Hortosque Aonidum volare olentes:
Cur cessatis, Apes? ad arma, ad arma.

Arcas hoſtis adeſt. Aſellus ille,
Portitor Satyri ebrius protervi,
Quem facto àgmine nuper expuliſtis,
In Cyrrham redit ultor, atque tanto
Pares dedecori vices minatur.
Auditis fremitus feros rudentis?
Ut pede, ô ſcelus! atterit petulco
Inſcriptos foliis ſuperba Regum
Flores nomina; lividoque dente
Diis ipſis petit arbores amatas.
Et jam cerea diſſipare caſtra,
Veſtros ſternere jam parat labores.
Illoque ore ſuo vepreta, & hirtos
Sueto rodere carduos, Olympi·
Uda nectare geſtit eſſe mella.
Et ceſſatis adhuc. Adeſte, adeſte,
Tela ſtringite quotquot eſtis omnes,
Et denſis pecudem obſidere turmis.
Nares, labra, oculos & hinc & illinc
Ferite, ſtimuloſque calcitranti
Altè figite, duplicate plagas.
Ut dura cute ſit, tamen medullis
Ictus ſentiet intimis adactos;
Capiſtro & cupiet molæque reddi.






REGI.

De Trajecto ad Mosam post duodecim acerrimæ propugnationis dies capto.

TRAJECTUM si te ausa fuit, LODOICE, morari,
Et tua bissenos arma tenere dies:
Non fossæ hos animos, non cornibus horridus agger,
Lunave mille vomens funera, mille neces;
Non cæcis immane tonans Vulcanus ab antris,
Et pavido in cælum fulmina missa Jove.
Virtutis Batavo insuetæ mentem ipse dedisti,
Inque tuum crevit vis inimica decus.
Ignavos fuerat tibi succubuisse pudendum:
Qui sic restiterant, hi meruere capi.




EIDEM.

De lunari munimento bis ante ejus oculos acriter à nostris expugnato.

QUOD genus hoc lunæ, quæ cornu infausta minaci
Noctes atque dies exitiale rubet;
Quæ ferri nimbos, & ahenum nunciat imbrem,
Fulminaque ardenti grandine mixta ciet?

Dii prohibete minas, omenque avertite dirum :
    Ne pestem ah ! Francis perniciemque ferat.
Tuque ô læta suum quem dicit Gallia Solem,
    Famæ deliquium ne patiare time.
Cur timeas autem ? feralis crimina Lunæ
    Corrigere aspectu scilicet ipse potes.
Cælestem reficit Lunam Sol lumine amico :
    Deficit ante oculos hæc, LODOICE, tuos.



EIDEM.

De cornuto, ut vocant, opere occupato à nostris, cùm paratus ad subruendam loricam cuniculus frustra fuisset.

CORNIBUS horrendam, rostroque decemplice molem
    Dum parat emota vertere fossor humo :
Irritus erupit, Batavoque innoxius ignis ;
    Et damnum nostris perniciemque tulit.
Virtutis grande ingenium est, cùm Principis ora,
    Atque oculos testes sentit adesse sibi.
Speratam reperit quâ suppleat arte ruinam ;
    It miles, gladiis & sibi pandit iter.
Jam peccare igni, LODOICE, impune licebit :
    Urbium habet claves Gallus in ense suo.





EIDEM.

De duobus Trajectis eodem menſe, recurrente anno, ejus auſpicio ductuque captis.

STANT geminæ Latiis ſtructæ legionibus urbes;
Ambæ trajecto nomen ab amne ferunt.
Nam ſuper impoſito Rhenum altera ponte coërcet;
Altera captivis te, Moſa, frænat aquis.
Utraque ſub domino ſervire indigna Batavo,
Excuſſit Franco vindice turpe jugum.
Menſe eodem ceſſere : aſt illa corona prioris;
Hæc anni alterius laurea prima fuit.
Abſtulit hanc bellum, belli metus abſtulit illam;
Hæc meruit, voluit ſponte ſed illa capi.
Par decus ambarum eſt, diſpar fortuna : probavit
Hæc dextram invicti Principis, illa fidem.



IN EXTEMPORALES EJUS victorias.


FLOS ille Regum, nemo quo decentiùs
Solio reſedit Galliæ :
Extemporalis cùm Poëtas cerneret
Appetere laudem carminis,

Extemporalis auctor ipse factus est,
Et artifex victoriæ.
Citiusque, quàm quod cœperant Vates opus,
LODOICUS absolvit suum.

EIDEM.

De nascente inter victorias Filio.

DUM Batavum justo contundis Marte ferocem,
Hincque jugum Rheno tollis, & inde mari;
Aurea progenies, magni spes altera regni,
Exoriens fecit te, LODOICE, patrem.
Læta triumphales ambit Victoria cunas,
Advelans palmis ora tenella suis.
Et Puero vult esse soror, vel nubere conjux;
Digna viro conjux, dignaque fratre soror.
Nubere sed leges prohibent: unumque sororis
Armipotens Virgo nomen habere potest.
Nam gemina de matre parens communis utrique es:
Dextra illam; hunc peperit dia THERESA tibi.



Expostulavit regius infans de negata sibi in conjugem Victoria, elegantissimis epigrammatis duobus, quæ ejus nomine V. Cl. & Poëtæ amicissimus scripsit. Expostulationi sic respondit Poëta,




AD

REGIUM INFANTEM

De facta sibi superiore epigrammate injuria conquerentem.

IRATIS cur immeritum configis ocellis,
 Vagituque feris me graviore, Puer?
Parce queri: non est, ut rere, injuria, non est;
 Si tibi quæ soror est, nubere Diva fugit.
Exemplum nec vana potest præbere vetustas;
 Displiceant mores, quos Jovis aula probat.
Diis quoque sunt illis sua crimina; nec bene Juno
 Sustinuit conjux fratris inire torum.
Fac tamen hoc liceat: tibi si Victoria nubet,
 Aspice dissidii quàm gravis auctor eris?
Nam cunis affixa tuis sua castra relinquet;
 Utque virum foveat, deseret illa patrem.






DE SERENISSIMI AURELIANORUM DUCIS FILIO

Per Hollandicæ expeditionis tempus nato.

MAJOR Alexandro ſoboles, bellante PHILIPPO,
Indignans matris delituiſſe ſinu,
Erumpit, validiſque implens vagitibus auras,
Quà potis eſt, Batavos voce minante premit,
Flet tamen, invictus quando pater omnia vincet,
Vincendi nullam ſpem ſupereſſe ſibi.





AD

ILLUSTRISS. VIRUM


CLAUDIUM PELLOT

SENATUS ROTOMAGENSIS

PRINCIPEM.

De festis pro capto Trajecto ignibus, quos improvisus imber turbavit.

CUM festos Pelloti ignes spectaret ab alto
Juppiter, & telis æmula tela suis:
Bella, inquit, nobis iterum scelerata parantur,
Et petit humanus Numina nostra furor.
Nec mora, densum atris effudit nubibus imbrem.
Nulla metûs poterat certior esse fides.
Et cautè ille quidem pluvialibus irruit undis:
Si res acta foret fulmine, victus erat.





AD EUMDEM.

Cùm graviſſima & elegantiſſima oratione Curiam de more aperuiſſet.

AURE favete omnes : Themidis dum rite ſacerdos
Aurea recludens limina, verba facit.
Proh ! quanta inſiſtit facundis gratia labris ;
Atque expers fuci, nudus & arte lepos !
Non ſic grandiloqui Demoſthenis ora ſonabant,
Cùm fando Æmonii frangeret arma ducis.
Non ſic terrarum reginam Tullius urbem
Flexit ad eloquii mollia fræna ſui.
Par caput eſt, mundoque tibi mens æqua regendo,
Gallia ; ſunt faciles vincere cuncta manus.
Majeſtate tua dignam nunc denique linguam,
Quæ leges populis juraque dicat, habe.





IN OBITUM

JULIÆ LUCINÆ D'ANGENNES DE RAMBOUILLET, DUCIS DE MONTAUSIER,

Regiæ prolis educationi aliàs præfectæ, ac demum Reginæ ipsius honorariæ comiti.

QUISQUIS es, huc gressus oculosque adverte viator;
Sique potes, lacrimas, dum legis ista, tene.
JULIA Romanis Francisque Heroibus orta,
Junctæ stirpis honos, atque corona domûs:
Progenies magnæ non impar JULIA matri,
Atque triumphali nubere digna viro:
Augustæ comes, & DELPHINI Julia custos,
Virtutis merito conveniente gradu:
Floribus æternis & cantibus inclita Vatum,
Sed magis ingenio JULIA clara suo.
Heu! rapta ante diem crudelibus occubat umbris;
Et cinis est, nuper quæ stupor orbis erat.
Illius edoctus mortem quid plura requiras?
Barbarus est, cui non cognita vita fuit.





IN OBITUM MAGNI TURENNII;

Quem Gallorum de Fœderatis ſequuta eſt victoria.

POSTQUAM fulmineo TURENNIUS occidit ictu,
 (Nam telo haud poterat debiliore mori)
Teutones exclamant : Noſtra eſt victoria ; Marti
 Nulla tuo ad palmas jam mora, Cæſar, erit.
Franca ſimul vulſis invadunt agmina ſignis,
 Heu ! ducis indigno funere fracta ſui.
Mira fides ! viſo redit hoſte in pectora virtus ;
 Majoreſque animos fecit ad arma dolor.
Saxonas enſe metunt : reſtagnans ſanguine Rhenus
 Vandalico, rubris in mare currit aquis.
Ipſa triumphali feretro Victoria, plena
 Accumulat lauros debita ſerta manu ;
Ingentique vocans manes clamore beatos :
 Sumite, ait, noſtrâ munera digna fide.
Tu, quantus fuerit TURENNIUS, Auſtria, diſce :
 Sufficit ad clades illius umbra tuas.






DE VICTORIA CASSELLIANA

Quam Sereniſſimus Dux Aurelianenſis de Batavis die Palmarum reportavit.

GALLICA collatis invaſerat agmina ſignis
    NASSOVIUS, Regum Semideûmque nepos,
Et pugnâ cupidus Trajectum abolere ſecundâ,
    Terque ſibi objectæ probra pudenda fugæ;
Ibat in adverſos jam confidentior enſes:
    Viſus & eſt Batava vincere poſſe manu.
Relligio ſedenim felicibus obſtitit auſis:
    Ni foret hanc timidus ſpernere, victor erat.
Eſſe diem meminit, quâ Chriſti Roma triumphos
    Concelebrans, palmas feſtaque ſerta gerit.
Mene etiam ſacris, inquit, miſcebo profanis?
    Eſt, vetitos ritus vel ſimulare, nefas.
Præque optans vinci, quàm crimine vincere, palmam
    Dux pius oblatam reſpuit, atque fugit.



AD

REGEM

DE PACE

CUM BATAVIS FACTA.

OBRUERAS Batavos malè junctos fœdere Iberis:
Hos pace optata das, LODOICE, frui.
Senſere ultorem, nunc experientur amicum.
Fidus amicus eris, qui gravis ultor eras.
Laus ea multorum ſic debellare ſuperbos:
Parcere ſubjectis, gloria tota tua eſt.


AD EUMDEM.

QUUM tibi victrices Mars colligat undique lauros,
Nulla & eat palmis non decorata dies:
Urges pacis opus, fortunatiſſime Regum,
Sic quaſi pax rebus ſit magis apta tuis.
Et terrâ obtritum pariter pelagoque Batavum,
Inſperata ultro conditione, beas.
Danus, Iberque fremant licèt, & cum Teutone Panno,
Hos quoque, quæ tuleris jura, neceſſe pati.
Macte ô laude nova! rurſum tibi vincitur hoſtis,
Quem pacem arbitrio cogis habere tuo.



DE CERTAMINE AD MONTES HANNONIÆ post Pacem factam COMMISSO.

FOEdere Nassovius ruit in certamina rupto,
Atque movet socias rursus in arma manus.
Nunquam alias furiis res est majoribus acta,
Nec tantus gladiis fluxit utrimque cruor.
Danda tamen juveni venia est. Fas lædere pacem
Credidit esse sibi, quâ periturus erat.



IN IDEM ARGUMENTUM.

VIncere quum posset justis Orangius armis,
Adversum sensit Numen obesse sibi.
Nunc injusta ciens rupta certamina pace,
Nullo operæ pretio fas violasse dolet.
Sors fuerit, virtus meruit quum vincere, vinci.
Nil præter cladem fraude petisse, quid est?



RUITERI




RUITERI
HOLLANDIÆ ARCHITHALASSI
EPITAPHIUM JOCULARE.

Classibus indomitos toties qui terruit Anglos,
Sub Franco malè ter Marte ruit Ruiter.



INSCRIBENDUM
TUMULO.


Sum quod eris: quod es, antè fui. Vis nosse, viator,
Quid, quod es, & quod sum, dividat? Hora brevis.






INSCRIBENDUM HOROLOGIO SCIOTHERICO.

QUÆ celeri lapſu fugientes indicat horas,
Extremam umbra ſilens clamat adeſſe tibi.



AD MACRINUM.

PINGUI corpore ſum, MACRINE; ſed tu
Pingui es ingenio : æqua noſtra ſors eſt.
Noli pingue meum mihi invidere :
Nunquam pingue tuum tibi invidebo.






DE

VIRO ET UXORE

AD EAMDEM FURCAM

SUSPENSIS.

ECCE jugo nexi pendent vir & uxor eodem.
Hoc meritò possis dicere conjugium.



IN EFFIGIEM

CELSISSIMI PRINCIPIS

FERDINANDI

EPISCOPI

PADERBORNENSIS, &c.

Ab Ill. ejus fratre THEODORO CASPARE
affabre depictam.

CUM cuperent gentes, ad quas tua fama volabat,
Aspectuque tuo colloquioque frui:
Fratris opem, FERNANDE, tulit labor; & tua cerni
Ora dedit carâ picta tabella manu.

Ora dedit cerni, ſed muta & egentia vocis :
Quamvis muta putes pictaque poſſe loqui.
Impleſti calamo populorum vota : loquentem
Suſpiciunt, queis jam conſpiciendus eras.
Te nunc orbis habet. Fraterna expreſſit arundo
Corpus ; & ingenium penna diſerta tuum.




AD

ANTONIUM VERJUSIUM S. J.

Quòd numus, quem Celſ. Princeps FERDINANDUS Paderbornenſis Epiſcopus nobis muneri miſerat, non eſſet ejus impreſſus effigie.


DICEBAM : Longo tandem pòſt tempore numus,
Divini aſſimulans Principis ora, venit.
Aureus ille mihi rutilo cernetur in auro,
Materia formæ conveniente ſuæ.
Jamque tenere manu, jamque oſcula ferre videbar ;
Cumque abſente loqui ſæpe ſuaſit amor.
Quin & blanditias & dulcia carmina dixi,
Indulgens ſtudio credulus ipſe meo.
Heu ſpes deceptas, & inania ſomnia Vatum !
In proprias fraudes ingenioſus eram.
Numus adeſt ; nec cara mihi fert Principis ora.
VERJUSI, hunc pondus credis habere ſuum ?
Et nunc vota pudor premit improba. Sed, puto, ſentis,
Quòd ſuffuſa negat charta rubore loqui.



AD
CELSISSIMUM PRINCIPEM
FERDINANDUM.

Pro altero numiſmate ad nos miſſo.

VOTA ſuos habuere Deos : ſuffuſa pudore
    Quem charta erubuit poſcere, numus adeſt.
Numus adeſt puro gravis & ſpectabilis auro :
    Et ſacra, quod volui, Principis ora refert.
Gratia, FERDINANDE, tibi : ſum munere tanto
    Nunc factus locuples, qui modò pauper eram.
Nempe ingens numo venit theſaurus in uno :
    Pyxis & immenſas parva recondit opes.
Hunc teneo, hunc cura noctéſque dieſque fideli
    Amplector ; cupido nec ſino abire ſinu.
Ne tamen id vitio quiſquam mihi vertat. Avarum
    Non licet eſſe auri, ſed decet eſſe tui.



AD EUMDEM.

Cùm è periculoſiſſimo dyſenteriæ morbo convaluiſſet.

GRATIA magna Deo, vivis, FERNANDE : nec auſa eſt
    Funeris invidiam Parca ſubire tui.

Carmina sed Vatum metuens ultricia & iras,
Projecit trepidâ tela cruenta manu.
Schatenum [a] antè tamen, meditati ne foret expers
Criminis, exitio perfidiosa dedit.
Schatenum patriæ cujus tumulata sepulcro
Heu! lux historiæ conditur atque fides.
Ille tuis melior supposita est victima fatis:
Illi dulce mori, ne morerere, fuit.
At, FERNANDE, doles fido esse superstes amico;
Morsque tuo absolvit pæne dolore nefas.
Vive, precor. Cur te misero vis perdere luctu?
Ah! satis est animæ parte carere tuæ.

a P. Nicolaus Schatenus S. J. ea lue periit, dum carissimo Principi fidelem operam dabat.




AD

COMITEM BRIENNIUM.

Cùm ei Psittaci, quam petierat, metamorphosim mitteremus.

PSITTACUS angusto quem carcere pagina claudit,
Non est occiduo missus ab orbe tibi.
Aonii venit frondoso è vertice montis,
Factus avis, lepidus qui fuit antè puer.
Ille meæ, LOMENIADE, quando invida vultum
Fata negant, fidei testis & obses erit.
Ille tui dignos dum nitor condere versus,
Χαῖρε suum blæso garrulus ore canet.
Discipulæ volucris si rustica musa placebit,
Non rudis ad cantus ipse magister ero.





AD


ILLUSTRISS. VIRUM

CAROLUM FERRARIUM TOTIUM

SENATOREM ROTOMAGENSEM,

Cæcilianæ Sodalitatis principem.

AUGUSTAS magnæ Matris dum personat ædes,
    Cæciliamque chorus tollit ad astra suam:
Turba inhians cantu fidium & dulcedine vocum,
    Aure diu solâ vivere visa sibi est.
Credidit & cœtus inter se audire beatos
    Carmina, mortali non modulata sono.
At simul est sensusque animo, & vox reddita linguæ;
    Omnes concordi protinus ore canunt:
Patronæ multùm cælesti, Musica, debes!
    Patrono debet plus tamen ipsa tuo.





AD EUMDEM.

Cùm ei pictas rosas donaremus.


NUNC cùm picta sinum latè omnis terra renidet ;
Chloris & ipsa suas prodiga perdit opes ;
Cùm pretium sertis & honorem copia demit,
FERRARI, serum est me tibi ferre rosas.
Mitto tamen, sed non quales nascuntur in horto,
Armatas flammis cuspidibusque truces.
Mitius haud nostris quicquam ; etsi tangere dextrâ
Non licet : his fas est lumina sola frui.
Ac ne fòrs dubitare queas donum esse Poëtæ,
Has nasus fictas sentiet esse tuus.



AD ARBOREM,


In cujus cortice B. MARIÆ nomen erat insculptum.

CRESCE, viresce diu ramis felicibus arbos,
Crescat & in libro scripta MARIA tuo.
Sic ventos tibi longè, hiemesque avertat iniquas,
Sic rapido frondens servet ab igne caput.
Atque utinam liceat mutare hoc cortice pectus,
Vulneraque impressis ferre beata notis !
CHRISTE, fave, nomenque tuum, nomenque Parentis
Scribe : liquor, sanguis ; pennaque, clavus erit.



DE STELLA MAGORUM.

DUM cæli varios ſpectant revolubilis orbes,
Inque vago noctis ſidera picta ſinu;
Chaldæi inſuetam mirantur fulgere flammam,
Quam mutet radiis Phoſphorus ipſe ſuis.
Continuoque viam lingua ſuadente coruſca,
Verſus Idumæas corripuere plagas.
Ipſa comes, ductorque facem de nocte miniſtrat,
Deque die greſſus officioſa regit.
Aſt ubi Bethlemiæ limen tetigere cavernæ,
(Regia biſgeniti nam fuit illa Dei)
Reſtitit, excubitorque novus ſuper antra reſedit,
Functurus vigilis nocte dieque vicem.
Ite, Magi, atque aliam jam quærite lampada vobis,
Hîc fixa eſt, errans quæ modò ſtella fuit.






CARITATIS EXPOSTULATIO

Adversus eos, qui nomen suum cum aspiratione vel pronunciant vel scribunt.

Sancti progenies parensque Amoris,
Quam prono dominam fatentur ore
Virtutes, Charitesque, Gratiæque,
Necnon illecebræ pudiciores,
Voce supplice Caritas precatur:
Ne, cùm Grammatici suum vocare,
Stilove incipient notare nomen,
Illud litterulâ asperent molestâ.
Nam dulcedinis & suavitatum,
Divinæque soror benignitatis,
Spiritus negat asperos habere.





AD

P. FERRIUM EXIMIUM VERBI DIVINI PRÆCONEM.


CUm tibi sint mores, quos aurea prædicet ætas,
Aurea mens, torrens aureus ore fluat;
A duro nomen trahis illætabile ferro:
Credemusne ullam vocibus esse fidem?
Sed tamen in ferro vis est adjuncta nitori:
Martius atque suum fulgor acumen habet.
Nempe tua hæc, FERRI, laus est: fulgesque, ferisque:
Mixtaque fulgureâ vulnera luce facis.
Quamquam dissimilis ratio ferrique, tuique:
Das vitam; ferri vis inimica necat.





IN LIBRUM
V. CL.
S. BOCHARTI
De Animalibus ſacræ Scripturæ.


QUI veterum libros, ſpinoſa volumina Vatum;
    Sperat inoffenſo ſolus adire pede:
Ille per undantes malefidæ Syrtis arenas
    Tendere ſecurum poſſe videtur iter.
Non facies rebus, non priſtina forma remanſit:
    Signa etiam voces deſtituere ſuas.
Heu! quæ deceptus ſibi finxit ſomnia lector,
    Fœcundâ in proprios credulitate metus!
Dum plantis piſces, inſectis gramina mutat;
    Dum volucres credit nare, volare feras.
Has demum ambages tollis, BOCHARTE: priuſque
    Invia, jam nobis te duce, plana via eſt.
Spectraque, quæ dudum fallax induxerat error,
    Ingenii fugiunt lumine pulſa tui.
Reſtituis formamque, antiquaque nomina rebus,
    Nec pateris dubiam Vatibus eſſe fidem.
Quos tibi pro tali merito reddemus honores,
    Aut quæ poſteritas præmia ſera dabit?
Sed taceant homines. Mutis animalia linguis
    In laudes diſcent eſſe diſerta tuas.



AD EUMDEM.

Pro Piſcibus.


DUM mortale nefas ultricibus expiat undis,
Atque hominum pœnas naufraga terra luit:
Merſerat ira Dei volucres & ſæcla ferarum,
Quæque domos celebrant, quæque vagantur agris.
Et ni ferret opem fatali puppe Noachus,
Perdita venturæ ſpes quoque gentis erat.
Soli exultabant communi in funere piſces,
Imperio læti cedere cuncta ſuo.
Hanc illis ſortem invidit damnoſa vetuſtas,
Et pœnæ expertes non tulit eſſe diu.
Quos non perdiderat cæli furor æquore toto,
Illos lethæis improba perdit aquis.
Laus tua quàm veteris major, BOCHARTE, Noachi,
Naufragio piſces eripuiſſe ſuo.



DE AURELIO
Abbatis Sancti Cigirani,
ET AUGUSTINO
Jansenii,

Famosis hac ætate libris.

FAMOSO pretium facturus Vasco libello,
 Aureli nomen sumsit inane sibi.
Calvini Batavus restaurans dogmata, nomen,
 Augustinus, opus jussit habere suum:
Sicque ambo insignem sibi divisere magistrum,
 Præsule quo stellis se tulit Hippo parem.
At qualem, ô miseri, Divo monstratis amorem?
 Dispeream, si vos hic redamare potest.
Integrum per quos sibi non licet esse, fatetur
 Carnifices, renuit dicere discipulos.





DE ROMULO
AMULII INTERFECTORE.

ROMULUS [a] incesti damnatus fraude parentis,
Ipsius immerita morte piare nefas:
Clementes expertus aquas, rictusque luporum,
Mitius ingenium senserat esse feris.
Sæva Deûm invidit juveni fortuna favorem,
Et sceleris puras noluit esse manus.
Ultori genitricis, avi, fratrisque, suique,
Ignotum objecit perfida in hoste patrem.
O laurum ambiguam! casu cernuntur in uno
Virtus facta nefas, & patricida pius.

a Dionysius Halicarn. scribit Amulium vitiasse Iliam Romuli matrem.




AD

JANUM.

DUM mihi tam dulcem fando depingis amicum,
Et meritum cæli tollis ad astra decus,
Illius immensum spargis sub pectore amorem:
Rivalemque tuum me prope, JANE, facis.
Nunc mihi laudatur pietas & candida virtus,
Munditiesque animo corporis æqua suo;


Nunc gravitas jucunda, & non austera senectus,
Et dulces risus, ingenuique sales.
Ipse oculis demum, quamquam non visus, oberrat.
Quî possum hoc ? vultus consulo, JANE, tuos.



EPITAPHIUM PHILIPPI LABBEI E SOC. JESU,

Dum novam Conciliorum editionem curaret, demortui.

LABBEUS hîc situs est. Vitam, mortemque requiris ?
Vita libros illi scribere, morsque fuit.
O nimiùm felix ! qui Patrum antiqua retractans
Concilia, accessit conciliis Superûm.



INSCRIPTIO URNÆ,

In qua P. CLAUDII DE LINGENDES Societ. JESU, & Cl. V. N. DE LINGENDES, ejus ex fratre nepotis, corda servantur Molinis in templo Collegii Societatis JESU.


UNANIMES cælo, terris in pace quiescunt
Concordes. Morti cedere nescit amor.

INSCRIBENDUM

Propylæo villæ Crepicordianæ Cl. V. D. DE MANEVILLIETE, in quam Ludovicus Magnus bis magnificentia regali exceptus est.


HAS magnus LUDOVIX quondam divertit ad ædes,
Bisque suo sacras reddidit hospitio.
Fortunam gratare domûs dominique, viator:
Ni tibi degeneri cor crepat invidia.






DE NOVA ÆGIDII MENAGII POEMATUM EDITIONE AD LECTOREM.

Et novus & vetus est docti liber iste Menagî,
Quem cupida versas, lector amice, manu.
Res titulique manent : sed si quos addidit auctor
Respicias cultus, dixeris esse novum.



IN MENALCAM MULTIJUGIS DOCTRINÆ INEPTISSIMUM CAPTATOREM.

Omnia quæ didicit, poterat nescire Menalcas :
Omnia quæ nescit, discere debuerat.




VELEDÆ BRUCTERORUM SIBYLLÆ IN ACANTHIDEM METAMORPHOSIS.

Parodia ad Catulli Phaselum.

ACANTHIS illa laureæ comæ insidens,
Ait fuisse Virgo plena numinis:
Neque ullius latentis exitum rei
Nequisse prævidere, sive Juppiter
Sinistra fata, sive dextra conderet.
Et hoc negát Visurgis atque Luppiæ
Negare litus Insulasve mobiles,
Sinumve Flevium, algidosve Frisios,
Sicambriam, memorque Quinctilì nemus;
Ubi ista, pòst Acanthis, antea fuit
Sibylla. Namque turris è cacumine
Futura sæpe corde præscio edidit.
Vetuste Aliso, fonsque Padderæ sacer,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima,
Acanthis inquit: ultima ex origine
Tua stetisse dicit in crepidine,
Tuis levasse limpidis aquis sitim,
Ibique, per tot orbis horridas vices,
Superfuisse: sive saxo Bructera

Teneret arva ; ſive Francus impiger
Suo illa marte vindicans repoſceret.
Neque ulla vota funeralibus Deis
Sibi eſſe facta, quum maneret in ſpecu
Recondita, hos ad uſque proximos dies.
Sed hæc priùs fuere : facta nunc avis
Viget canendo, ſeque dedicat tibi,
Gemelle Apollo, & gemelle Apollinis.



IN
RHYTHMOS SACROS
P. MARTINI CLAIRE' S. J.

BARBARIES mundi dominam quum verteret urbem,
Muſæ etiam leges carminibuſque tulit.
Pro numeris, Venuſine, tuis pede juſſit inepto
Extrema in ſimilem claudere verba ſonum,
Alternoque aures plauſu feriiſſe, Latinis
Tum demum cœpit Vatibus eſſe lepos.
Rhythmorũ hinc latè in populos crebreſcere nomen:
Nec fas Regum aliis bella ſonare modis.
Quin & Relligio, laudes dictura Tonanti,
Incluſit Rhythmis publica vota ſuis.
Rubigo ſed enim ſqualorque inſederat illos :
Multus & ipſa inter ſacra ſolœcus erat.
Non tulit hoc CLAREI felix audacia ; Rhythmis
Inſtituitque novum conciliare decus.
Atque ita barbaries dum fit Romana, viciſſim
Jam ſibi barbaricis Roma placet numeris.





AD

R. P. FRANCISCUM

DE LA CHAISE S. J.

De Imagine Infantis Jesu cerea.

Blande Pupule, Pupe mollicelle;
Casæ deliciæ, meique amores,
Castæ deliciæ, piique amores:
Vivis? anne oculos venusta imago
Grato pelliciens fefellit astu,
Infans dum puto Numen intueri?
Talis, credo equidem, sinu in Parentis
Parvus virgineo Deus cubabat.
Sic risit tenerum, ferens pudico
Intermista rosis ligustra vultu.
Puris oscula sic dabat labellis.
Fulgur sic erat innocens ocellis.
Meum denique sic refers Jesum,
Ut factus sua jam videri imago
Possit, tu videaris esse Jesus.
Quin plantis manibusque do tenellis
Mille millia basiationum?
Quin genis roseisque do labellis
Mille millia suaviationum?
O quàm dulcia mella cera condit!
Quàm pulcros alit & ministrat ignes!
Non humanæ opus est laborque dextræ;
Venit hoc quoque munus ex Olympo;
Et de Virgine matre ducit ortus.



IN EAMDEM.

GESTU, oculiſque loquax, vocem compeſcit Imago.
Verbum infans melius quippe ſilendo refert.



SERENISSIMO PRINCIPI
CONDÆO
Pro Cuniculis ad epulas miſſis
EUCHARISTICON.

CUNICULORUM delicatulum gregem,
Huc miſſus abs te quum venire diceret,
Honore, PRINCEPS, debito ſuſcepimus:
Agimuſque meritò maximas grates tibi.
Succo nitentes terga, crure candido,
Lumbiſque; olentes & thymum, & violam, & piper,
Meruere certè ferculis regalibus
Augere opimas phaſianorum ſtrues.
Quid pluribus te teneo? mitibus feris
Corona Patrum cuncta leni murmure,
Quum ſe intuliſſent in capax Triclinium,
Arriſit: ambas obviis tendens manus.

Munusque, & auctor muneris nostro diu
Fuere in ore. Pace sed dicam tua,
Videris haud fecisse fortiter satis.
Condæe belli fulmen, & cui se pares
Jove Hercules creatus, & Mavors negant;
Cujus tot arces impetu, tot mœnia
Perrupta vi fuere; nostra pectora
Aggrederis oppugnare per cuniculos?



AD

SERENISSIMUM PRINCIPEM

LUDOVICUM

BORBONII DUCEM;

Epulæ ipso accumbente nobis insipidæ.

Munera Condæi quamvis regalia luxum
Pauperibus mensis deliciasque ferant;
Nec minùs Enguineo gaudens servire Diana
His apponat opes ambitiosa suas;
Juniperoque satur redolente cuniculus orbes,
Et cortis raucæ pinguis alumna gravent;
Nec desit perdix, nec desit Phasidos ales,
Nec quodcumque potest sollicitare famem;
Borboniden spectans epulis accumbere, dixi;
Mi sapit ille unus: cœna superba, vale.






AD EUMDEM.

COENA FAMELICA.

BORBONIDE, quid agis ? regali cœna paratu
    Inſtruitur donis luxurioſa tuis.
Nil ad delicias venatrix Cynthia deeſſe,
    Nil patitur Baccho conſociata Ceres.
Irritare gulam poterant hæc omnia. Verùm
    Non ſenſi, dum te miror, adeſſe famem.



AD



AD

CAROLUM

LE BRUN

PICTORUM HUJUS ÆTATIS

FACILE' PRINCIPEM,

Ut Sereniss. Principis FERDINANDI, Paderbornensis & Monasteriensis Episcopi tropæum, in Operum ejus poëticorum vestibulo ponendum, absolvat.


ARTIS Apellææ columen, quo sospite felix
Gallia nil Graiis invidet, aut Italis.
Regis magnanimi paullisper, BRUNE, triumphos
Peniculo differ æquiparare tuo.
Promissumque diu FERNANDO impende laborem,
Debitaque haud pigra pone tropæa manu.
FERNANDO proli Heroum, Regumque nepoti,
Luppia quem dominum pulcher & Alpha colit:
FERNANDO, cujus meritis fortuna fatetur,
Prodiga muneribus sit licèt, esse minor.
Is colere ingenuas, pretiis quas promovet, artes
Non infra culmen Principis esse putat,
Est aliquid certè sudare in Principe docto,
Materiamque operis non habuisse rudem.

Et tua, ne dubita, dicet miracula Vates,
Illo quo Reges, quo canit ore Deum.
Alternam vobis lucem præstabitis ambo,
Alter & alterius munere major erit.
Pingendo æternos dabis illi vivere in annos,
Te leto eripiet versibus ipse suis.



DE VIRGINE AURELIANENSI JOANNA DARCIA.

HÆc illa est, cui se majestas Gallica debet,
Servatrix patriæ DARCIA virgo suæ.
Quem non centum anni, non quinque expellere Reges,
Innumeræve acies non potuere virûm;
Clarum opibus, lætum assiduis successibus hostem,
Feminea docuit posse perire manu.
Hinc pudor in victis: hinc plusquam hostilis in illam
Exarsit, præsens tempus ad usque, furor.
Non satis est morte insontem damnasse cruenta:
Vexat adhuc cineres barbara lingua pios.
At tu, mortales sacrum spoliata per ignem
Exuvias, cælum casta virago tene.
Quæ fueras pulso viva immortale Britanno
Dedecus, æternum mortua crimen eris.





DE EADEM

CUM HERCULE COMPARATA.


HERCULEÆ laudi cur Gallica cedat Amazon,
Seque parem dubitet femina ferre Deo?
Edomuit fera monſtra, ſuiſque laboribus orbi
Pacato Alcides otia læta dedit.
Immanes fregit Pardos generoſa virago:
Et longo exſolvit patria rura metu.
Succeſſit feſſo Atlanti Tyrinthius heros,
Geſtavitque humeris aſtra Jovemque ſuis.
Auſa eſt imperio ſuccurrere virgo labanti,
Invicta Regem ſuſtinuitque manu.
Captus uterque dolo eſt ejus quem vicerat armis:
Arſit funereo vivus uterque rogo.
Non tamen, æquatum virtute & grandibus actis,
Non alia ſuperat parte puella virum.
Haud illum puduit muliebria ducere penſa,
Martiaque imbelli vertere tela colu.
At fuſis mulier laniſque animoſa relictis,
Tractavit gladios & grave Martis opus.
Eſt quoque mors diſpar. Alieno crimine flammis
Hæc inſons, periit at reus ille ſuo.






ANTIRRHETICON.

QUID feci ah demens! Heroida non bene tantam
Cum ficta vani comparo prole Jovis.
Da veniam, virgo. Quàm vero fabula distat,
Tam distant gestis Herculis acta tuis.



DE EADEM.


IGNIBUS immeritis bellatrix ardet Amazon,
Supplicioque reum te facit, Angle, suo;
Illius at frustra sperasti funere clades
Posse abolere tuas, indecoremque fugam.
Haud omnis periit. Cor non violabile busto
Francorum ultrices urget ad arma manus;
Quid flammis viva sævis in virgine? Regno
Inferet illa tuo mortua mille faces.



DE EADEM.

EVERSÆ dederint aliis cognomina gentes:
Servata melius nomen ab urbe fero.
Perdere quis nequeat? potuit qui ferre salutem,
Aut Deus, aut certe proximus ille Deo est.





PAUPER,

Qui vivus ſepultus fuerat, dum refoditur letale vulnus accipit.

QUI Lycidam vivum tumulaverat, Alco peremit,
Ferre ligone ſuo quum properaret opem.
Funere bis functum plebs omnis plorat: & udam
Fletibus, hoc aliquis carmine, ſignat humum.
Ante diem infoſſus, lucem dum ſpero refoſſus,
Confoſſum immiti cuſpide foſſa tegit.



DE ARMINII INOPINATO VULNERE.

DUM titubante gradu per lubrica compita fertur
Arminius, ſtrato corpore planxit humum.
Acceſſit caſu caſus. Sartaginis illum
Pes feriit, lapſo qui pede corruerat.
Quid vitare juvat Bellonæ fulmina? noſtrum
Et tua quando petunt arma, Culina, caput.






PSEUDODÆMON
SUB LARVA PEREMTUS.

QUi cauda, rictuque, oculiſque rubentibus igni,
Extiterat tota non levis urbe timor:
Dum ſtygium ſe fingit Alaſtora, Cinna probavit,
Fulminea ſtratus glande, fuiſſe virum.
Quàm vereor ficta ne cujus imagine luſit,
Sentiat heu! veros flebilis umbra rogos.



ALIUD.

MEntitus furiæ larvalem Cinna figuram
Occidit, & pueris deſiit eſſe pavor.
Corpus furca tenet: ſtygiis anima incidit umbris,
Terret ubi aſpectu pallida regna ſuo.





RHENUS IN OCULIS REGIS

Ab Equitatu natante trajectus.


IMPOSITO Rhenum frænavit ponte tumentem,
Per domitas ducens agmina Cæsar aquas.
Contemto ejusdem LODOICUS gurgite, victor
De Batavo immissis hoste triumphat equis.
Si conferre libet LODOICI & Cæsaris acta:
Hunc fabrum, ast illum dixeris esse ducem.



IN IDEM ARGUMENTUM.


GRANICUM Æacides, LODOICUS flumina Rheni
Transiliens, hostes victor uterque fugat.
Quàm minor est Rheni Granicus gurgite vasto,
Tam Macetûm Rex est te, LODOICE, minor.





REX HISPANIÆ LUDOV. MAGNO PRIMAS CEDIT.


DUm primas, LODOICE, palam tibi cedit Iberus;
Atque minor Genero sustinet ire Socer:
Hæc decora antiquo te poscere jure fatetur;
Et probat esse novo debita jure tibi.



VESUNTIO CAPTA.

DEDITA sponte tibi Vesuntio, MAGNE, relicta est:
Ut te digna foret, debuit illa capi.
Dedita felicem, fortem te capta probavit:
Sors illud, virtus hoc dare sola potest.





PAX NEOMAGENSIS.

QUAM dedit Augustus, pacem Rex imperat orbi,
His Magnus meritis dictus uterque fuit.
Quamquam alio Augustum LODOICUS nomine vincit;
Perdidit ille hostes, iste perire vetat.



AD VIRUM CL. PETRUM DANIELEM HUETIUM,

Cùm Suessionensis Episcopus renunciaretur, pedibus laborantem.

QUESTUS eras, pedibus subito languore solutis,
Haud semel in media procubuisse via.
Ut secura solo posthac vestigia figas,
Rex tibi, HUETIADE, donat habere pedum.





IN CINNAM.

UNDIQUE damnatos conquirit Cinna libellos;
Nec lege, aut pœnis ſiſtitur ille furor.
Sotadico ſi quis prurivit carmine, ſi quis
Auxit nequitias, fœde Priape, tuas:
Aut Regum illuſit ſceptris, populumque rebellem
Infanda in dominos arma movere docet:
Qui ſcriptis magicas tradunt furialibus artes,
Et ſtygio inſtaurant impia ſacra Jovi.
Denique flagitii quantum eſt, & ubique veneni,
Cinna ſibi multo prodigus ære parat.
Artantur plutei numero creſcente librorum,
Nec jam illos ſedes, ſit licèt ampla, capit.
Stulte tot obſcænis cur laxas atria chartis?
Aptior iis nulla eſt bibliotheca foco.




DE INCENDIO LONDINENSI

EPIGRAMMA

è Gallico BENSERADII Latinè redditum.

SIC quondam in cineres iit Ilios: at neque Reges
Lædere, nec Divos noverat illa ſuos.


LONDINUM merito, quantum est, perit æquiùs igni:
Et par, pro causa dispare, funus habet.
Nempe urbs infandum patravit barbara crimen,
Cui si det veniam, sit Themis ipsa nocens.
Haud alias monstrum vidit Sol tale: nec addet,
Ut puto, posteritas, quum leget, ulla fidem.
Jamque illud tellus horrens impune relinqui,
Cœperat indignis astra notare probris.
Purgat, serò licèt, se denique Numen: & ultrix
Per varios pœnam digerit ira gradus.
Prima lues, mox bella furunt: flamma ultima sævit,
Et, quod tota maris non lavet unda, piat.



AD FONTIS BORBONII NYMPHAM.

O Tu, BORBONIIS quæ fontibus addita custos,
Fumantes calido sulphure volvis aquas:
Si qua fuit quondam virtus afflicta levandi
Corpora, si morbis utile numen habes:
Vota, piique preces Vatis ne despice, Nympha:
Non erit officii gratia nulla tui.
Sensit HUETIADES, animæ pars altera nostræ,
Genua sibi arcano diriguisse gelu.
Et meminit, nervis subito languore solutis,
Haud semel in medio se titubasse gradu.
Concretum flammis humentibus excoque frigus:
Lapsaque vi vitium, potaque lympha, fuget.

Sic tibi, cognato quæ gaudet nomine Naias,
    Udaque Viciaci cedat alumna soli.
Sic tua longinquos properare ad balnea Reges,
    Et medico videas membra fovere lacu.
Grandis surget honos servato Antistite, quo nil
    Doctius aut melius Gallicus orbis habet.
Illi, Borboniæ quando hinc est gentis origo,
    Esse bonam, genius te monet ipse loci.



AD JESUM

IN CUNIS PLORANTEM.

Fles, divine Puer, vagituque æthera pulsas,
    Et gemit ad gemitus mœsta caverna tuos.
Cur lacrimas? En virgo tibi dat sugere Mater
    Ubera, nectareus defluit unde liquor.
En tepidis refovet tremulos amplexibus artus,
    Et figit niveis basia mille genis.
Non tamen amplexus oculos, repetitaque siccant
    Basia, non roseis ubera pressa labris.
Ipse ego sum, video tanti tibi causa doloris.
    Ah! fles durum adeo pectus inesse mihi.
Quem scelera & pœnæ scelerum lugere monebant,
    Me luges, captum mente, vacare jocis.



AD EUMDEM
CRUCIFIXUM.

QUALEM te, CHRISTE, aſpicio? Tune ille Tonantis
Filius, & Patri par, Deus ipſe, Deo?
Fœdatus plagis, taboque & ſanguine membra,
In cruce ſupplicium, ceu latro, turpe luis.
Debueram periiſſe reus, tu plecteris inſons.
Fallor, an eſt oculis hic quoque captus amor?

AD EUMDEM
ADORATUM A MAGIS.

THURA Magi, & myrrhæ lacrimas, aurique talenta,
Infanti ecce ferunt, dona ſuperba, Deo.
Et me æquum eſt aliquo teſtari munere honorem;
Ad Regem vacua faſne ſit ire manu?
Sed neque dives Arabs quod donem detulit aurum,
Nec præbet meſſes terra Sabæa ſuas.
Paupertas, & opes, & opum ſpem, vota recidit:
Nec ſi adſint, valeant, CHRISTE, placere tibi.
Quid faciam? tandem reperi, te judice, donum
Cui cedat quicquid terra vel unda parit.
Te te ipſum divine tibi, Puer, offero munus:
Namque licet. Pietas te facit eſſe meum.



IN VITAM GUILL. MENAGII AB ÆGIDIO FILIO V. CL.

Scriptam.

DUM Patris aureolo deſcribit facta libello,
Et mores, Sparte quos velit eſſe ſuos:
MENAGIUS dubium fecit, natuſne parenti,
An nato plus jam debeat ipſe parens.
Vitæ alter fragilem morituro contulit uſum:
Victurum in ſcriptis alter obire vetat.




DIMIDIATÆ LUDOVICI MAGNI STATUÆ

INCRIBENDUM.


NON alio cerni Majeſtas ſe velit ore.
Non aliud poſcat Mundus habere caput:






AD
EUMDEM
POESIS LOQVITUR.

FINGERE cur libeat? dum te cano, MAXIME REGUM,
Fabula narrari creditur: hiſtoria eſt.



AD EUMDEM.

QUANTALIBET Vatum dictis audacia detur,
Semper erunt factis, MAGNE, minora tuis.
Hiſtorici ſcribant contenti ſimplice vero:
Haud tamen his addent poſtera ſæcla fidem.
Quæ ſe æquat meritis, laus eſt humana. Referre
Nunquam poſſe parem; gloria digna Deo eſt.





EPITAPHIUM FRANCISCI VAVASSORIS S. J.

VAVASSOR jacet hîc : quem postquam fata tulerunt,
Romanæ Veneres dedidicere loqui.



IN MORTEM RENATI RAPINI S. J.

OCCIDIT heu ! longa confectus tabe RAPINUS,
Ille decus sacri deliciumque chori.
Letali macie pallentem, & corpore fracto,
Durare in senium quis potuisse putet ?
Crediderim flexam cantûs dulcedine mortem,
Sponte diu sævas sustinuisse manus.
Da flores tumulo. Ne desint, ipse per hortos
Jussit perpetuùm luxuriare suos.



INFANS CUM MATRE EX PARTU MORTUA

Sepultus.

Matri longa novem tuleram fastidia menses;
Fecerat illa tamen dulcia prolis amor.
Heu spes vanæ hominum! dias dum lucis in auras
Exorior, morior: dum parit illa, perit.
Flens pater, atque ægrè matri natoque superstes,
Elatos thalamo, condidit hoc tumulo.

ILLUST. ABBATI DE LOUVOIS

Homeri Iliadem & Odysseam, in doctotum hominum omnis ordinis cœtu frequentissimo, doctè atque eleganter explicanti,

Qui Ducis errores Ithaci, qui prælia & iram
Pelidæ cecinit, lumine captus erat.
Cumque tot heroas tumuli servasset ab umbris,
Ereptum ipse sibi flevit abesse diem.

TELLERIUS sortem Vatis miseratus iniquam,
Opportunus opem, qua valet arte, tulit.
Scilicet obscura illustrat dum carmina; cæco
Amissam lucem restituisse fuit.




MARIA MAGDALENA POENITENS

Gemmas & monile projicit & conculcat.

CAROLI BRUNI *Pictoris eximii opus.*

MAGDALA dum gemmas, baccisque monile coruscum
Projicit, ac formæ detrahit arma suæ:
Dum vultus lacrimis, & lumina turbat: Amoris
Mirare insidias! hac capit arte Deum.



S. CAROLUS BORROMÆUS VICTIMA SALUTIS PUBLICÆ

Ejusdem BRUNI *opus.*

SÆVIT dira lues. At resti colla revinctus,
Et tardus plagis, CAROLUS orat opem.
Respirate, Greges. quas mixto sanguine Pastor
Dat lacrimas, vestri sunt medicina mali.

LUDOVICO MAGNO,

Globum Terræ Cruci suppositum amplectenti,

CORONA EX STELLIS CONTEXTA desuper impendet.

CONTENTUS Regno, quamvis par pluribus, uno,
Totum orbem certas subdere, MAGNE. Cruci
Terra tibi fragilem potuit dare victa coronam:
Æternam pietas exigit; astra dabunt.



IN FONTEM

DRIBURGICUM.

SULPHURIS, ac ferri, medicati ſemine fontes,
Quos morbi fugiunt, quos Hygieia tenet;
Et vos, quos motis Muſarum ad carmina lymphis,
Pierio narrant exiliiſſe jugo;
Cedite. Driburgi Naïs pulcherrima veſtras,
Venâ par cunctis divite, vincit opes.
Nam totas Phœbi vires complexa, ſalubris
Ingeniis pariter, corporibuſque fluit.



ARBORIS

FELIX STERILITAS.

TELEMACHI latè malus frondebat in horto,
In ſteriles tantùm luxurioſa comas.
Nam neque menſe ſuo flores, nec poma ferebat;
Unaque, munus hero quod daret, umbra fuit.
Et jam ſæpe foco damnarat inutile lignum,
Sæpe minax ferrum ſumſerat ille manu.
At manus, inſolito toties aſtricta rigore,
Obſtupuit vires non habuiſſe ſuas.
Sic igitur longos manſit ſervata per annos:
Servatæ ſed non gratia nulla fuit.

Conjux dura, ferox, odiosa domique forisque,
Illius ad ramos reste ligata perit:
Quam vir pendentem aspiciens, O fertilis arbor,
Cuncta, ait, hoc pensas fœnore damna mihi.



AD CL. V.

N. FEUARDENTII

ELEGANTISSIMUM EPIGRAMMA

RESPONSIO.

FABELLAM meditans, magno clamore vocabam
Uraniæ comites in mea vota Deas.
Cùm Phœbus: Tibi simplicitas non rustica, dixit,
Sufficiat. Phædro sufficit illa meo.
Et frustra appellas Charites. Præstantior illas
Inclusit chartis namque Poëta suis.






PRO EQUESTRI REGIS STATUA

In hortis Ruellianis à Duce RICHELIO erecta.

TALIS Equo exultans acies LODOICUS Iberas,
Et Batavo infauſtis ſociatos Teutonas armis,
Capta Moſæ, Rhenique ad flumina victor agebat.
Aſpicis ipſa oculis ut Martem ſpirat Imago?
Et nunc edomiti curva cervice Leones,
Submiſſiſque Aquilæ didiciſſent Gallica pennis
Fræna pati, Magnique auratos ducere currus:
Ni ſibi juſta modum victoria poneret ultro:
Et ſalvo peteret meliorem ex hoſte triumphum.



EPIGRAMMATA
SELECTA
EX ANTHOLOGIÆ
LIBRO I.

Latinè conversa.

Διοτίμου.

ΤΑν ἥβαν ἐς ἄεθλα πάλας ἤσκησε κραταιάν
Ἅ τε Ποσειδῶνος, καὶ Διὸς ἁ γένεα.
Κεῖται δέ σφιν ἀγὼν, οὐ χαλκέου ἀπὶ λέβητος,
Ἀλλ' ὅστις ζωὰν οἴσεται ἢ θάνατον.
Ἀνταίου τὸ πτῶμα. πρέπει δ' Ηρακλέα νικᾶν
Τὸν Διός. Ἀργείων ἁ πάλα, οὐ Λιβύων.

Dɪᴏᴛɪᴍɪ, in luctam Herculis & Antæi.

EXERCENT dura robur juvenile palæstra,
Neptuni hinc soboles, filius inde Jovis.
Ænea nec quærunt certamine pocula tanto:
Ast uter alterius cæde superbus eat.
Corruit Antæus. Decuit Jove vincere natum.
Nam lucta est Graiûm gloria, non Libyum.



Ἀντιπάτρου.

Ὁ Σταδιεὺς Ἀρίης ὁ Μενεκλέος οὐ κατελέγχει
Περσέα σὴν κτίσιν, Ταρσὲ Κίλισσα πόλι.
Τοῖοι γὰρ παιδὸς πτηνοὶ πόδες. οὐδ' ἂν ἐκείνῳ
Οὐδ' αὐτὸς Περσεὺς νῶτον ἔδειξε θέων.
Ἢ γὰρ ἐφ' ὑσπλήγγων ἢ τέρματος εἶδέ τις ἄκρου
Ἠΐθεον, μέσσῳ δ' οὔποτ' ἐνὶ σταδίῳ.

ANTIPATRI in Ariam.

FLos Arias ſtadii, proles Menecleia, non eſt
Degener auctoris, Tarſe Ciliſſa, tui.
Certè habet in plantis alas quoque. Nec ſua Perſeus
Currenti antevolans terga videnda daret.
Fas juvenem primo ſub carcere, vel prope metas,
At nunquam in medio cernere curriculo.



Τοῦ αὐτοῦ.

Ταύρου βαθὺν τένοντα, καὶ σιδαρέους
Ἄτλαντος ὤμους, καὶ κόμαν Ἡρακλέους,
Σεμνὰν δ' ὑπήναν, καὶ λέοντος ὄμματα.
Μιλήσιος γίγαντος, οὐδ' Ὀλύμπιος
Ζεὺς ἀτρόμητος εἶδεν, ἄνδρας ἡνίκα
Πυγμὴν ἐνίκα Νικοφῶν Ὀλύμπια.

EJUSDEM in Nicophontem.

BOvis toroſi colla, necnon ferreos
Atlantis humeros, & comam Alcidæ, & pilos
Barbæ

Barbæ minaces, & leonis lumina
Milesii gigantis, Elæus videns
Trepidavit ipse Juppiter; cùm sterneret
Viros palæstra Nicophon Olympica.

✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤ ✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

Δαμαγήτου.

ΟΥτ' ἀπὸ Μεσσάνας, ἔτ' Ἀργόθεν εἰμὶ παλαιστάς.
Σπάρτα μοι Σπάρτα κυδιάνειρα πατρίς.
Κεῖνοι τεχνάεντες· ἐγὼ γε μὲν (ὡς ἐπέοικε
Τοῖς Λακεδαιμονίων παισὶ) βίᾳ κρατέω.

Damageti.

NON me clara tulit pugilem Messana, nec Argos:
Sparta virum genitrix, patria Sparta mea est.
Arte doloque illi vincant. Lacedæmone natum,
Ni peperit virtus, nulla corona juvat.


✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤ ✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

Σιμωνίδου.

ΓΝῶθι Θεόκριτον προσιδὼν τὸν ὀλυμπιονίκαν,
Παῖδα, παλαισμοσύνας δεξιὸν ἡνίοχον,
Κάλλιστον μὲν ἰδεῖν, ἀθλεῖν δ' ἐ χείρονα μορφῆς,
Ὃς πατέρων ἀγαθῶν ἐστεφάνωσε πόλιν.

Simonidis in Theocritum.

CERNE Theocritum qui vicit Olympia. Luctæ
Se puer egregia jam probat arte virum.
Omnibus ut forma, sic & certamine præstat:
Majorum, & patriæ grata corona suæ.




Φιλίππου.

Τίς σε πάγος δυσέρημος, ἀήλιος, ἐξέθρεψεν;
    Ἢ βορέου Σκυθίης, ἄμπελον ἀγριάδα,
Ἢ Κελτῶν νιφοβλῆτες ἀεὶ κρυμώδεες Ἄλπεις,
    Τῆς τε σιδηροτόκου βῶλος Ἰβηριάδος;
Ἢ τοὺς ὀμφακοεργὰς ἐγείναο τοὺς ἀπεπάντους
    Βότρυας, οἳ στυφελὴν ἐξέχεον σταγόνα.
Δίζημαι, Λυκόεργε, τεὰς χέρας, ὡς ἀπὸ ῥίζης
    Κλήματος ὠμοτόκου, βλαστὸν ὅλον θερίσῃς.

PHILIPPI, in vitem uvas acerbas ferentem

QUÆ ſola agreſtem, Phœboque impervia rupes
    Te genuit ? Scythiæ num boreale latus ?
Celtarumne Alpes, æternis feta pruinis
    Culmina ; an Hiſpani ferrea teſqua ſoli ?
Uſque adeo immites edis male fertilis uvas,
    Faucibus ingratus defluit unde liquor.
Nunc validam dextra molire, Lycurge, bipennim :
    Arboris infauſtæ germen ut omne metas.




Ἀδήλου.

Τίς ποτ' ἀκηδέστως οἰνοτρέφον ὄμφακα Βάκχου
    Ἀνὴρ ἀμπελίνου κλήματος ἐξέταμεν.
Χείλεα δὲ στυφθεὶς, χαμάδις βάλεν, ὡς ἂν ὁδίταις
    Εἴη πασομένοις ἡμιδαὲς σκύβαλον.
Εἴη οἱ Διόνυσος ἀνάρσιος οἷα Λυκούργῳ,
    Ὅττι μιν αὐξομέναν ἔσβεσεν εὐφροσύναν.
Τοῦδε γὰρ ἂν τάχα τις διὰ πώματος ἢ πρὸς ἀοιδὰς
    Ἤλυθεν, ἢ γοερῶν κήδεος ἔσχε λύσιν.


INCERTI, in eum qui vuam immaturam carpſerat.

QUis crudam, Bromii de palmite, barbarus uvam
Immiti, ante diem, pollice deſecuit?
Et labra ingrato ſtringens contacta ſapore,
Semeſam, viſu triſte, reliquit humi.
Sit Deus huic aſper, fuit aſper ut antè Lycurgo,
Creſcere qui vetuit gaudia tanta ſibi.
Unde aliquis potans, vel nobile fundere carmen,
Vel curas poterat pellere corde graves.



Λεωνίδου.

Οὐκ ἐμὰ ταῦτα λάφυρα· τίς ὁ θριγκοῖσιν ἀνάψας
Ἄρηος, ταύταν τὰν ἄχαριν χάριτα;
Ἄκλαστοι μὲν κῶνοι, ἀναίμακτοι δὲ γανῶσαι
Ἀσπίδες, ἄκλαστοι δ' αἱ κλαδαραὶ κάμακες.
Αἰδοῖ πάντα πρόσωπ' ἐρυθαίνομαι, ἐκ δὲ μετώπου
Ἱδρὼς πιδύων στῆθος ἐπισταλάει.
Παστάδα τις τοιοῖσδε, καὶ ἀνδρεῶνα, καὶ αὐλὰν
Κοσμείτω, καὶ τὸν νυμφίδιον θάλαμον·
Ἀρδὺς δ' αἱματόεντα Διωξίπποιο λάφυρα
Νηὸν κοσμείη· τοῖς γὰρ ἀρεσκόμεθα.



LEONIDÆ.

QUÆ ſpolia hæc autem? non ſunt mea. Tollite dudum
Munera luminibus non placitura meis.
Infractæ galeæ, nulloque aſperſa cruore
Scuta micant: nullum lancea vulnus habet.
Mars ea quùm video, vultum pudor iraque turbant:
Inque ſinus tepido ſudor ab ore fluit.
His niteat donis conclave, & xyſtus, & aula,
Atque maritalis ſponda ſuperba thori.
Cæde virûm noſtris rorantes ponite templis
Exuvias: Getico grata tropæa Deo.



Μνασάλκου.

Α Σύριγξ, τί τοι ὧδε παρ' Ἀφρογένειαν ὄρουσας;
Τίπτ' ἀπὸ ποιμενίου χείλεος ὧδε πάρει;
Οὔτοι πρῶνες ἔθ' ὧδ', οὐδ' ἄγκεα, πάντα δ' ἔρωτες,
Καὶ πόθος· ἀδ' ἀγρία μοῦσ' ἐν ὄρει νέμεται.

MNASALCI in fiſtulam Veneri conſecratam.

QUIS tulit auratam Veneris te caſus in ædem,
Fiſtula, paſtorum ſueta ſedere labris?
Non juga, non valles hic ſunt: at cœtus Amorum,
Et Charitum. Silvas ruſtica Muſa petit.



Πλάτωνος.

ἈΝέρα τις λιπόγυιον ὑπὲρ νώτοιο λιπαυγὴς
Ἦγε, πόδας χρήσας, ὄμματα χρησάμενος.

PLATONIS Junioris in mutilatos.

FERT humeris claudum cæcus. Sic ſorte negatos,
Ille oculos ſocio commodat, iſte pedes.

Ἀδηλον.

ΓΥμνὸν ἰδοῦσα Λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέμοιο
Παῖδ' ἑὸν ἐς πάτραν ὠκὺ ἰέντα πόδα.
Αὐτὴ ἀΐξασα, δι' ἥπατος ἤλασε λόγχην,
Ἀῤῥενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμένῳ.
Ἀλλότριον Σπάρτας (εἶπεν) γένος, ἔῤῥε ποθ' ᾅδαν,
Ἔῤῥ', ἐπεὶ ἐψεύσω πατρίδα καὶ γενέταν.

INCERTI in Lacænam quæ filium è prælio fugientem occidit.

SPARTANA amiſſis cùm natum cerneret armis
Adverſo celerem marte referre gradum:
Irruit, & crudo rumpit præcordia ferro:
Magnanimoque ferox hæc ſuper ore tonat.
Degener ô Spartæ ſoboles, i, perfer ad umbras
Te, patriæ probrum, matris obiſſe manu.

Παλλαδᾶ.

Φεῦγε Λάκων ποτὲ δῆριν· ἀπαντήσασα δ' ἡ μήτηρ
Εἶπε, κατὰ στέρνων ἄορ ἀνασχομένη,
Ζώων μὲν, σέο ματρὶ διαμπερὲς αἶσχος ἀνάπτεις,
Καὶ κρατερᾶς Σπάρτας πάτρια θεσμὰ λύεις·
Ην δὲ θάνῃς παλάμῃσιν ἐμαῖς, μάτηρ μὲν ἀκούσω
Δύσμορος, ἀλλ' ἐν ἐμῇ πατρίδι σωζομένα.

PALLADÆ in idem Argumentum.

ARMA Lacon fugiens projecerat. Obvia ferro
Transadigens pectus vindice mater ait.
Æterna afficies, si vivas, labe parentem:
Et Lacedæmonium fasque decusque perit.
Si nostro ense cadas; miserabilis ipsa gemensque,
Ast in servata mater ero patria.

Ἰουλιανοῦ.

ΜΗτηρ υἷα λιπόντα μόχλον μετὰ πότμον ἑταίρων
Εκτανεν, ὠδίνων μνᾶσιν ἀνηναμένη.
Καὶ γὰρ γνήσιον αἷμα διακρίνει Λακεδαίμων
Αλκῇ μαρναμένων, οὐ γενεῇ βρεφέων.

JULIANI in idem Argumentum.

OCCISIS natum sociis Spartana fugacem,
Immemor esse parens, dedidit ipsa neci.
Namque animo Sparte censet, non sanguine, prolem.
Nec veram partus, sed fera pugna, probat.




Βάσσου.

Οὔρεα Πυρηναῖα, καὶ αἱ βαθυάγκεες Ἄλπεις;
    Αἳ Ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε,
Μάρτυρες ἀκτίνων Γερμανικὸς ἃς ἀνέτειλεν,
    Ἀστράπτων Κελτοῖς πουλὺν ἐνυάλιον.
Οἱ δ' ἄρα δουπήθησαν ἀολλέες. εἶπε δ' Ἐνυὼ
    Ἄρει· τοιαύταις χερσὶν ὀφειλόμεθα.

Bassi, in Germanicum.

Ardua Pyrene, voſque altis vallibus Alpes,
    Queis Rhenum à primo cernere fonte licet
Noſtis io! quantos torſit Germanicus ignes,
    Fulmineo Celtas dum ſuper enſe ruit.
Undique cùm denſi caderent: Bellona Gradivo
    Noſtra, ait, his debent numina ſe manibus.



Παρμενίωνος.

Τὸν γαίης καὶ πόντου ἀμειφθείσαισι κελεύθοις,
    Ναύτην ἠπείρου, πεζοπόρον πελάγευς,
Ἐν τρισσαῖς δοράτων ἑκατοντάσιν ἔστυγεν Ἄρης
    Σπάρτης. αἰσχύνεσθ' οὔρεα καὶ πελάγη.

Parmenionis de trecentis Laconibus, qui Perſici exercitus impetum ſuſtinuere.

Qui ratibus tranans montes, atque æquora calcans,
Jura ſali vertit barbarus atque ſoli:

Bellatrix Sparte tercentum hunc reppulit hastis.
O ! quantus pudor est montibus atque mari !

* * * * * * * * * * * * * * * * *

Ἀρχίου.

ΟΝ πόλεμος δεδιὼς οὐκ ὤλεσε, νῦν ὑπὸ νούσου
Θλίβομαι· ἐν δ' ἰδίῳ τήκομ' ὅλος πολέμῳ.
Ἀλλὰ διὰ στέρνων ἴθι φάσγανον. ὡς γὰρ ἀριστεὺς
Θνήξομ', ἀπωσάμενος καὶ νόσον ὡς πόλεμον.

Archiæ, in militem, qui ne morbo periret, se peremit.

BEllorum fera vis timuit quem perdere, morbi
Vi pereo, mecum tristia bella gerens.
At tu, fide ensis, cor transfige. Sic ego morbi
Victor obibo, virûm victor ut ante fui.

****

Ἀλκαίου Μεσσηνίου.

ΜΑκυνοῦ τείχη, Ζεῦ Ὀλύμπιε, ῥέξε Φίλιππος
Ἀμβατά· χαλκείας κλεῖε πύλας μακάρων.
Καὶ γὰρ χθὼν καὶ πόντος ὑπὸ σκήπτροισι Φιλίππου
Δέδμανται, λοιπὰ δ' ἁ πρὸς Ὄλυμπον ὁδός.

Alcæi Messenii de capta Macyni arce validissima à Philippo Macedone.

MAcyni potuit muros superare Philippus.
Claude Deûm valido, Juppiter, ære domos.
Pontus enim sceptris, tellusque subacta Philippi,
Huic facilem monstrant ad tua regna viam.



Φιλίππου.

ΠΟυλὺ Λεωνίδεω κατιδὼν δέμας αὐτοδάϊκτον
Ξέρξης ἐχλαίνου φάρεϊ πορφυρέῳ.
Κἠκ νεκύων δ' ἤχησεν ὁ τᾶς Σπάρτας μέγας ἥρως,
Οὐ δέχομαι προδόταις μισθὸν ὀφειλόμενον.
Ἀσπίς μοι τύμβου κόσμος μέγας. ἔῤῥε τὰ Περσῶν.
Ἥξω κ' εἰς ἀΐδην ὡς Λακεδαιμόνιος.

PHILIPPI in Leonidam, quem mortuum purpureo pallio Perſarum Rex involvit.

HAUSERAT ipſe ſibi latus enſe Leonida. mirans
Purpurea Xerxes texit eum Chlamyde.
Non tulit: exclamanſque Orci de ſedibus heros,
Horreo transfugii præmia turpis, ait.
Grandis honos tumuli ſcutum mihi. Sit ſua Perſis
Purpura. Viſam umbras ut Lacedæmonius.



Βάσσου.

ΑΗθαίης ἀκάτοιο τριηκοσίους ὅτε ναύτας
Δεύτεροι ἔσχ' ἀΐδης πάντας ἀρηϊφάτους,
Σπάρτας ὁ στόλος, εἶπεν. ἴδ' ὡς πάλι πρόσθια πάντα
Τραύματα, κἀν στέρνοις δῆρις ἔνεστι μόνοις.
Νῦν γε μόθου κορέσασθε, καὶ εἰς ἐμὸν ἀμπαύσασθε
Ὕπνον, ἀνικήτου δῆμος ἐνυαλίου.



BASSI in trecentos Lacones.

TERCENTUM crudo rurſus certamine cæſos,
Per lethæa tuens Dis vada puppe vehi:
Claſſis, ait, Spartæ eſt. Adverſo corpore plagas,
Et fixa in ſolo pectore tela gerunt.
Parcite jam duro, gens Marte creata, labori.
Æternus requiem vos dat habere ſopor.



Κριναγόρου.

Ὀθρυάδην Σπάρτης τὸ μέγα κλέος, ἢ Κυνέγειρον
Ναύμαχον, ἢ πάντων ἔργα καλιπτολέμων;
Ἄρεος αἰχμητὴς Ἰταλὸς παρὰ χεύμασι Ῥήνου
Κλινθεὶς ἐκ πολλῶν ἡμιθανὴς βελέων,
Αἰετὸν ἁρπασθέντα φίλου στρατοῦ ὡς ἴδ' ὑπ' ἐχθροῖς,
Αὖτις ἀρηϊφάτων ἀνέθορεν ἐκ νεκύων·
Κτείνας δ' ὅς σφ' ἐκόμιζεν, ἑοῖς ἀνεσώσατο ταγοῖς,
Μοῦνος ἀήττητον δεξάμενος θάνατον.

CRINAGORÆ. De Itali militis fortitudine.

QUIS nunc Othryaden Spartæ decus, & Cynegirum
Certantem in pelago, priſcaque facta canet?
Italus ad Rhenum ferrea ſub grandine miles,
Ingenti facta ſtrage, jacebat humi.
Atque Aquilam ferri captivam ut vidit ab hoſte;
E medio rurſum funere bella petit.
Mox ducibus ſignum referens, raptore peremto
Morte triumphali denique victor obit.

Λεωνίδου.

Ἴξαλος εὐπώγων αἰγὸς πόσις ἔν ποτ' ἀλωῇ
Οἴνης τοὺς ἁπαλοὺς πάντας ἔδαψε κλάδους,
Τῷ δ' ἔπος ἐκ γαίης τόσον ἄπυε, τεῖρε κάκιστε
Γναθμοῖς ἡμετέρον κλῆμα τὸ καρποφόρον.
Ῥίζα γὰρ ἔμπεδος οὖσα. πάλι γλυκὺ νέκταρ ἀνήσει
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τράγε θυομένῳ.

LEONIDÆ Tarentini, in Caprum ramos vitis rodentem.

BARBIGERI ductorque & vir gregis, ore protervo
Rodebat vitis brachia lenta caper.
Cui vox è terra minitans : perge, improbe, dixit,
Dente fero ramos dilaniare meos.
Radix viva manet. nec cùm mactabere deerit,
Quo tibi ſpargantur cornua, dulce merum.

Μουσικίου.

Ἁ Κύπρις Μούσαισι, κοράσια τὰν Ἀφροδίταν
Τιμᾶτ', ἢ τὶν ἔρον ὔμμιν ἐφοπλίσομαι.
Χ' αἱ Μοῦσαι ποτὶ Κύπριν, Ἄρη τὰ στωμύλα ταῦτα,
Ἡμῖν δ' οὐ πέταται τοῦτο τὸ παιδάριον.

MUSICII vel Platonis.

CYPRIS ait Muſis : agnoſcite noſtra, Puellæ,
Numina. Vel juſſus vos male perdet Amor.
Has, Dea, reſpondent Muſæ, Marti occine nugas.
Ad nos laſcivus non volat ille puer.



Ἀδήλου.

Ὁ Ζεὺς πρὸς τὸν ἔρωτα· βέλη τὰ σὰ πάντ' ἀφε-
λοῦμαι.
Χ' ὁ πτανὸς, βρόντα, καὶ πάλι κύκνος ἔσῃ.

INCERTI.

OMNIA tela adimam, Divûm Pater inquit
Amori.
Ille, tona: rurſum, ſi volo, cycnus eris.



Φιλίππου.

Ἵμερον αὐλήσαντι πολυτρήτων διὰ λωτῶν,
Εἶπε λιγυφθόγγῳ Φοῖβος ἐπὶ Γλαφύρᾳ.
Μαρσύη, ἐψεύσω τεὸν εὕρεμα. τοὺς γὰρ Ἀθήνης
Αὐλοὺς ἐκ Φρυγίης οὗτος ἐληΐσατο.
Εἰ δὲ σὺ τοιούτοις τότ' ἐνέπνεες, οὐκ ἂν Ὕαγνις
Τὴν ἐπὶ Μαιάνδρῳ κλαῦσε δύσαυλον ἔριν.

PHILIPPI in Glaphyram tibicinam.

CUM Glaphyram dulci modulantem carmina loto
Audiſſet Phœbus, talia verba dedit.
Inventam eſſe tibi mentiris Marſia: furtim
Palladi ab arguto tibia rapta Phryge eſt.
Quâ tam docte olim ſi noſſes ludere, Hyagnis
Non fleſſet pugnæ triſtia fata tuæ.






Ἀλκαίου.

Οὐκ ἔτ' ἀνὰ Φρυγίην πιτυοτρόφον ὥς ποτε μέλψεις,
Κροῦμα διὰ τρητῶν φθεγγόμενος δονάκων.
Οὐδ' ἐνὶ ταῖς παλάμαις Τριτωνίδος ἔργον Ἀθάνας
Ὡς πρὶν ἀπανθήσει νυμφογενὲς Σάτυρε.
Δὴ γὰρ ἀλυκτοπέδαις σφίγγῃ χέρας, οὕνεκα Φοίβῳ,
Θνατὸς ἐὼν θείαν εἰς ἔριν ἠντίασας.
Λωτοὶ δ' οἱ κλάζοντες ἴσον φόρμιγγι μελιχρὸν
Ὤπασαν ἐξ ἀέθλων, οὐ στέφος, ἀλλ' ἀΐδαν.


Alcæi in Marſiam.

Piniferis non jam Phrygiæ ſub montibus edes
Multifori calamo, Marſya, dulce melos.
Nec flatu, digitiſque tuis animata Minervæ
Tibia, Nympharum ducet ut ante choros.
Non ſoivenda manus nam ſtringunt vincula: quod te
Auſus es, ah demens! æquiparare Deo.
Sic tibi Phœbææ teſtudinis æmula arundo,
Pro palma exitium perniciosa tulit.



Ἀλφαίου Μιτυληναίου.

Οὐ στέργω βαθυληΐους ἀρούρας.
Οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης·
Αὐτάρκεις ἔραμαι βίου, Μακρῖνε.
Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει.



ALPHÆI Mitylenæi in virtutem ſuis contentam.

NON fertiles agros peto,
Non Gygis immenſas opes.
Nam ſimplicis vitæ bonis,
Macrine, contento frui,
Ne quid nimis, nimis placet.

ALITER.

AGROS non peto fertiles ariſtis,
Non Lydi immodicas opes tyranni.
Vitæ quod ſatis eſt, placet Macrine.
Nam, nequid nimis, eſt nimis beatum.

✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣

Ἄδηλον.

Ἐλθὼν εἰς ἀΐδην ὅτε δὴ σοφὸν ἤνυσε γῆρας
Διογένης ὁ κύων, Κροῖσον ἰδὼν ἐγέλα.
Καὶ στρώσας ὁ γερὼν τὸ τειβώνιον ἐγγὺς ἐκείνου,
Τοῦ πολὺν ἐκ ποταμοῦ χρυσὸν ἀφυσσαμένου,
Εἶπεν, ἐμοὶ καὶ νῦν πλείων τόπος· ὅσα γὰρ εἶχον,
Πάντα φέρω σὺν ἐμοὶ Κροῖσε, σὺ δ' οὐδὲν ἔχεις.

INCERTI de Diogene & Crœſo.

CUM peteret manes rigidæ poſt fata ſenectæ,
Diogenes Crœſum riſit ut ante canis.
Palliolumque ſolo ſternens ante ora tyranni,
Cui dederat ſummas aurifer amnis opes:
Nunc quoque, ait, regno te latius: omnia mecum
Quippe fero. reſtat ſed tibi, Crœſe nihil.

Ἀδήλου.

ΤΟν βίον Ἡράκλειτε πολὺ πλέον ἤπερ ὅτ' ἔζης
Δάκρυε· νῦν ὁ βίος ἔστ' ἐλεεινότερος.
Τὸν βίον ἄρτι γέλα Δημόκριτε τὸ πλέον ἢ πρίν.
Νῦν ὁ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότερος.
Εἰς ὑμέας δὲ καὶ αὐτὸς ὁρῶν, τὸ μεταξὺ μεριμνῶ.
Πῶς ἅμα σοὶ κλαύσω, πῶς ἅμα σοὶ γελάσω.

INCERTI in humanam vitam.

NE cessa, Heraclite, oculis evolvere fletus.
Nunquam flebilior quàm modo vita fuit.
Tu quoque majores, Democrite, tolle cachinnos,
Nunc digna est risu denique vita tuo.
Quin ego jam dubito, dum vos contemplor utrumque,
Ridere an præstet vel lacrimare mihi.

Ἀρχίου.

ΛΥσίππις ὁ νεογνὸς ἐπὶ κρημνοῦ παῖς ἕρπων,
Ἀστυανακτείης ἤρχετο δυσμορίης.
Ἡ δὲ μεθωδήγησεν, ἀπὸ στέρνων προφέρουσα
Μαζὸν, τὸν λιμοῦ λύτρα καὶ θανάτου.

ARCHIÆ, in infantes.

REPTANDO in scopulum Lysippes filius ibat
Casus, Astyanax, heu! renovare tuos.
Præcipitem retrahit pia monstrans ubera mater:
Quæ pepulere necem, pellere nata famem.





Βιάνορος.

ΗΡιπεν ἐξ ἄκρης δόμος ἄθροος, ἀλλ' ἐπὶ παιδὶ
  Νηπιάχῳ, Ζεφύρου πολλὸν ἐλαφρότερος.
Φείσατο κουροσύνης καὶ ἐρείπιον. ὦ μεγάλαυχοι
  Μητέρες, ὠδίνων καὶ λίθος αἰσθάνεται.

BIANORIS.

CORRUIT in puerum domus alto à culmine verſa.
  Sed levior Zephyris illa ruina fuit.
Ætati parcens teneræ, quæ gloria matrum eſt!
  Senſum etiam partûs monſtrat habere lapis.



Ἀδήλου.

ΕΙ τις ἅπαξ γήμας, πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει,
  Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον.

INCERTI in nuptias.

QUI repetit thalamum compoſta uxore jugalem,
  Bis cupit in tumido naufragus eſſe mari.




Ἀδήλου.

ΟΥκ ἔστι γήμας ὅστις οὐ χειμάζεται,
Λέγουσι πάντες, καὶ γαμοῦσιν εἰδότες.



INCERTI in idem argumentum.

UXORE ducta nemo non vivit miser.
Fatentur omnes, & gemunt: ducunt tamen.



Ἀδήλου.

Ἄχρις ἂν ᾖς ἄγαμος, Νουμήνιε, πάντα δοκεῖ σοι
Ἐν τῷ ζῆν εἶναι τἀγαθὰ τῶν ἀγαθῶν.
Εἶτ' ὅταν εἰσέλθῃ γαμετή, πάλιν αὐτὸ δοκεῖ σοι
Ἐν τῷ ζῆν εἶναι πάντα κακῶν τὰ κακά.
Ἀλλὰ χάριν τεκνίων; ἕξεις, Νουμήνιε, τέκνα,
Χαλκὸν ἔχων· πτωχὸς δ' οὐδὲ τὰ τέκνα φιλεῖ.

INCERTI, aliud.

COELIBE dum lecto recubas, Numenie: felix
Ducitur, & cunctis vita referta bonis.
Adveniat conjux, curæ, luctusque sequentur
Tristior & leto vita trahenda manet.
Quæro, inquis, sobolem. Sobolem, sis dives, habebis.
Ah! natos pauper nescit amare suos.



Λουκιλλίου.

Εἴ τις γηράσας ζῆν εὔχεται, ἄξιός ἐστι
Γηράσκειν πολλῶν εἰς ἐτέων δεκάδας.



Lucilii in senectutem.

Vivere quisquis amat senio confectus inerti.
Sæclorum vivat millia multa; senex.



Εἰς γραφίδα.

Ἤμην ἀχρεῖον κάλαμος φυτόν· ἐκ γὰρ ἐμεῖο
Οὐ σῦκ', οὐ μῆλον φύεται, οὐ σταφυλή·
Ἀλλά μ' ἀνὴρ ἐμύησ' Ἑλικωνίδα, λεπτὰ τρήσας
Χείλεα, καὶ στεινὸν ῥοιῷ ὀχετευσάμενος.
Ἐκ δὲ τοῦ, εὖτε πίοιμι μέλαν ποτὸν, ἔνθεος οἷα,
Πᾶν ἔπος ἀφθέγκτῳ τῷδε λέγω στόματι.

Graphiarium, sive Calamus.

Planta fui sterilis calamus; non mala colono,
Non uvæ aut ficûs dulcia dona ferens.
Sed qui me addixit Musis, exilia labra
Finxit, & angustum, qua fluit humor, iter.
Ebrius inde nigro potu, ceu numine vates
Afflatus, muto quidlibet ore loquor.



Παλλαδᾶ.

Ὀργὴ τοῦ Διός ἐστι γυνὴ, πυρὸς ἀντιδοθεῖσα,
Δῶρον ἀνιηρὸν, τοῦ πυρὸς ἀντίδοτον.
Ἄνδρα γὰρ ἐκκαίει ταῖς φροντίσιν, ἠδὲ μαραίνει,
Καὶ γῆρας προπετὲς τῇ νεότητι φέρει,
Οὐδ' ὁ Ζεὺς ἀμέριμνος ἔχει χρυσόθρονον Ἥρην.
Πολλάκι γοῦν αὐτὴν ῥίψει ἀπ' ἀθανάτων,

Ηέρι καὶ νεφέλῃσι μετήορον. εἶδεν Ομηρος,
Καὶ Δία συγχεάψας τῇ γαμετῇ χόλιον.
Οὕτως οὐδέποτ' ἐστὶ γυνὴ σύμφωνος ἀκοίτῃ.
Οὐδὲ καὶ ἐν χρυσέῳ μιγνυμένη δαπέδῳ.

PALLADÆ in mulieres.

IRA ultrix Jovis est pro rapta femina flamma,
Atque ipso donum non minus igne nocens.
Urit enim, cæcaque absumit peste medullas;
Et juvenes canos efficit ante diem.
Junonem in solio vix fert Saturnius aureo;
Si qua fides dictis, magne Poeta, tuis.
Sæpe etenim hæc summo jussa est excedere Olympo,
Et medio pendens æthere visa fuit.
Ecqua viro mulier poterit jam vivere concors,
Si Divûm ipse etiam jurgia lectus habet?

✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣

Τοῦ αὐτοῦ.

ΠΑσαν Ομηρος ἔδειξε κακὴν σφαλερήν τε γυναῖκα,
Σώφρονα καὶ πόρνην, ἀμφοτέρας ὄλεθρον.
Ἐκ γὰρ τῆς Ελένης μοιχευσαμένης, φόνος ἀνδρῶν;
Καὶ διὰ σωφροσύνην Πηνελόπης, θάνατοι·
Ιλιὰς οὖν τὸ πόνημα, μιᾶς χάριν ἐστὶ γυναικός·
Αὐτὰρ Οδυσσείῃ Πηνελόπη πρόφασις.

EJUSDEM in idem argumentum.

FEMINA grande malum est, magno si credis Homero.
Casta, incesta, viris nil nisi triste parit.
Tyndaris innumeras invexit adultera clades:
Penelopesque pudor non sine cæde fuit.

Materiam Iliados mulier dedit una labori :
Altera Odyssex surgere fecit opus.



Μακεδονίου ὑπάτου.

Επταρον ἄγχι τάφοιο, ϗ ἤθελον αὐτὸς ἀκοῦσαι,
Οἷά περ ὠισάμην μοῖραν ἐμῆς ἀλόχου.
Επταρον εἰς ἀνέμους, ἄλοχον δέ μοι οὐκ ἐκιχάνει
Λυγρὸν ἐν ἀνθρώποις, οὐ νόσος, οὐ θάνατος.

Macedonii Consulis.

Sternueram juxta tumulum; lætusque putabam
Portendi uxoris proxima fata meæ.
Sternueram frustra. morbi, letique periclo'
Libera, in ærumnas heu ! manet illa meas.




Αντιπάτρου.

Εἰνοδίην καρύην με παρερχομένοις ἐφύτευσαν
Παισὶ λιθοβλήτου παίγνιον εὐστοχίης·
Πάντας δ' ἀκρέμονάς τε ϗ εὐθαλέας ὀροδάμνους
Κέκλασμαι, πυκιναῖς χερμάσι βαλλομένη.
Δένδρεσιν εὐκάρποις οὐδὲν πλέον. ἦ γὰρ ἔγωγε
Δυσδαίμων ἐπ' ἐμὴν ὕβριν ἐκαρποφόρουν.

In damnosam Nucis fecunditatem.

Nux tritæ malè juncta viæ sum, numinis ira,
Metaque lascivæ, ludibriumque manus.
Nam fera certatim dum torquet saxa juventus,
Ramorum & frondis mî perit omnis honos.

Fecundis nulla arboribus ſtant præmia. certè
Fertilis in pœnas, & mea probra fui.



Λεωνίδου.

ΜΗ μέμψῃ μ' ἀπέπειρον ἀεὶ θάλλουσαν ὀπώρην,
Ἀχράδα, τὴν καρποῖς πάντοτε βριθομένην.
Ὁππόσα γὰρ κλάδεσσι πεπαίνομεν, ἄλλος ὑφέλκει·
Ὁππόσα δ' ὠμὰ μένει, μητρὶ προσκρέμαται.

LEONIDÆ, Pyri defenſio.

NOSTRA quod immites incurvent brachia fetus,
Sylveſtrem indignans parce vocare pyrum.
Nam fur continuò quicquid maturuit auffert:
Et ſic ſola manent aſpera poma mihi.



Ἀδέσποτον.

ΠΑλλάδος εἰμὶ φυτόν, Βρομίου τί με θλίβετε κλῶνες;
Αἴρετε τοὺς βότρυας, παρθένος οὐ μεθύω.

INCERTI, olea vineæ ramis implicata.

CUR me onerant Bacchi frondes? ſum Palladis arbor.
Hinc uvæ eſte procul: non bibo virgo merum.





Φιλίππου.

Φοῖβον ἀνηναμένη ποτὲ Δάφνη, νῦν ἀνέτειλε
Καίσαρος ἐκ βωμοῦ, κλῶνα μελαμπέταλον.
Ἐκ δὲ θεοῦ θεὸν εὗρεν ἀμείνονα. Λητοΐδην γὰρ
Ἐχθήρασα, φιλεῖ Ζῆνα τὸν Αἰνεάδην·
Ῥίζαν δ' οὐκ ἀπὸ γῆς μητρὸς βάλεν, ἀλλ' ἀπὸ πέτρης.
Καίσαρι μὴ τίκτειν οὐδὲ λίθος δύναται.

PHILIPPI, de lauru enata ex altari Cæſaris.

FUGERAT amplexus Phœbi, nunc Cæſaris aram
Daphne ambit nitidis orta repente comis.
Nempe Deo melior Deus obtigit. oderat illa
Latoüm, at Latii flagrat amore Jovis.
Saxo educta viret, matris nil indiga terræ.
Scilicet Auguſto jam lapis ipſe parit.




Ἀδήλου.

Ἀσπίδ' Ἀχιλλῆος τὴν Ἕκτορος αἷμα πιοῦσαν,
Λαρτιάδης Δαναῶν εἷλε κακοκρισίῃ·
Ναυηγοῦ δὲ θάλασσα κατέσπασε, καὶ παρὰ τύμβῳ
Αἴαντος νηκτὴν ὅρμισεν, οὐκ Ἰθάκῃ.

INCERTI, de Clypeo Achillis, quem fluctus ad tumulum Ajacis detulerunt.

PELIDÆ clypeum, quem ſanguine tinxerat Hector,
Dulichio dederat Græcia iniqua duci.

Aſt hunc naufragio ſublatum vindice, fluctus
Non Ithacam, Ajacis ſed tulit ad tumulum.



Βιάνορος.

Ἀγγελίην παρ' Ζηνὸς ἐπεὶ φέρεν ἠεροδινὴς
Αἰετὸς, οἰωνῶν μοῦνος ὁ οὐράνιος,
Οὐκ ἔφθη τὸν Κρῆτα, θοὴν δ' ἀνετείνατο νευρὴν,
Πτηνὸν δ' ὁ πτερόεις ἰὸς ἐληΐσατο.
Ζηνὸς δ' οὐκ δίκην ἔλαθεν νόμος· ἔμπεσε δ' ὄρνις
Αἰδεῖ, τὰ δ' εὐστοχίης αἶτ' ἀπέλυσε βέλη.
Αὐχένι δ' ἰὸν ἔπηξεν, ὃν ἤπατι κοίμισεν αὐτός.
Ἓν δὲ βέλος δισσῶν αἷμ' ἔπιεν θανάτων.

BIANORIS, de Aquila ei, à quo peremta fuerat, mortale vulnus referente.

ALITUUM regina polo vicina volabat
Portans, ut fas eſt credere, juſſa Jovis;
Nec ſic tuta fuit. penna leviore per auras
Aſſequitur Creſſâ miſſa ſagitta manu.
Pœna æquum probat eſſe Jovem. Cadit icta volucris:
Atque refert ſecum tela cruenta viro.
Vulnerat huic collum, ſubit illi viſcera cuſpis:
Unaque de gemina cæde ſagitta rubet.



Τυλλίου Γεμίνου.

Σμίνθος ὁ παντοίης δαιτὸς λίχνος, οὐδὲ μυάγρης
Δειλὸς, ὁ καὶ θανάτου κέρδεα ληζόμενος,

Νευρολάλοι Φοίβου χορδὴν θρίσεν· ἡδ' ἐπὶ πῆχυν
Ελκομένη, θηρὸς λαιμὸν απεβρόχισεν.
Τόξων εὐστοχίην θαυμάζομεν· ἐς δ' κατ' ἐχθρῶν
Ηδη καὶ κιθάρην εὔστοχον ὅπλον ἔχει.

Tullii Gemini, in Murem chorda lyræ, quam arroſerat, ſtrangulatum.

Contemtis laqueis arrodere quidlibet audax,
Doctus & ex media ſumere morte cibum;
Vocalem Phœbi chordam mus carpſit. at illa
Strinxit ei, nervo diſſiliente, gulam.
Ecquis, Apollo, tuos arcus miretur? in hoſtes
Quæ jacias, præſtat jam lyra tela tibi.




Λεωνίδου.

Τοξοβόλον τὸν Ερωτα τίς ἔξεσεν ἐκ λιβανωτοῦ,
Τόν ποτε μηδ' αὐτὸν Ζηνὸς ἀπεχόμενον;
Οψέ ποθ' Ηφαίστῳ κεῖται σκοπὸς, ὃν καθορῶσιν
Εσφέπειν οὐκ ἄλλως ἢ πυρὶ τυφόμενον.

Leonidæ. Cupido ex thure.

Thure pharetratum ſculpto quis finxit Amorem,
Torquentem ipſi etiam tela timenda Jovi.
Vulcani telis nunc ipſe eſt meta. micare
Improbus haud alio debuit igne puer.



Αργεντα‹ρίου›.

Αργενταρίν.



Ἀργενταρίου.

Αὐγάζω τὸν ἄψυχον ἐπὶ σφραγῖδος Ἔρωτα
Χερσὶ λεοντείαν ἀγχοῦντα βίαν·
Ὅς τᾷ μὲν μάστιγα κατ' αὐχένος, ᾇ δὲ χαλινοῖς
Εὐθύνει· πολλὰ δ' ἀμφιτέθηλε χάρις.
Φρίσσω τὸν βροτολοιγόν· ὁ γὰρ καὶ θῆρα δαμάζων
Ἄγριον, οὐδ' ὀλίγον φείσεται ἀμερίων.

ARGENTARII, Amor Leonem frænans.

CERNO vel in gemma quàm ſit grave Numen Amoris:
Cui ſubdit domitus colla ſuperba leo.
Dextra flagella quatit; manus altera flectit habenas.
Applaudunt Veneres, ſertaque grata ferunt.
Crudelis Dominus! quid enim non mitia coget
Corda hominum: quando ſic domat ille feras.




Ζηνοδότου.

Τίς γλύψας τὸν Ἔρωτα παρὰ κρήνῃσιν ἔθηκεν,
Οἰόμενος παύσειν τοῦτο τὸ πῦρ ὕδατι;

ZENODOTI, Amor juxta fontem.

QUIS ſculptum poſuit ſub margine fontis Amorem?
Illius ah! nullis flamma tepeſcit aquis.






Γερμανικȣ̃ Καίσαρος.

Ὄτρεος ἐξ ὑπάτοιο λαγὼς πέσεν ἐς ποτε βένθος,
Ἐκπροφύγειν μεμαὼς τρηχὺν ὀδόντα κυνός.
Ἀλλ' ȣ̓δ' ὣς ἤλυξε κακὸν μόρον· αὐτίκα γάρ μιν
Εἰνάλιος μάρψας πνεύματος ἐρφαίνισεν.
Ἐκ πυρὸς ὡς αἰνῶς πέσες ἐς φλόγας. ἦ ῥά σε δαίμων.
Κὺν ἁλὶ, κὺν χέρσῳ θρέψε κυνέοσι βορλύ.

GERMANICI Cæſaris, in Leporem à Cane marino devoratum.

ORA canis fugiens montis de vertice ſummo
Se lepus in ſalſas præcipitavit aquas.
Nec ſic ille tamen vim fati evaſit iniquam,
Æquorei factus præda repentè canis.
In flammas ex igne cadis miſer. hæc tua ſors eſt,
Vel canis in terra, vel canis in pelago.



Τȣ̃ αὐτȣ̃.

Ἐκ κυνὸς εἷλε κύων με· τί ὦ ξένοι; εἰς ἐμὲ θῆρες
Ὑγροὶ καὶ πεζοὶ θυμὸν ἔχουσιν ἕνα.
Αἰθέρα λοιπὸν ἔχοιτε λαγοὶ βατόν· ἀλλὰ φοβȣ̃μαι,
Οὐρανὲ, καὶ σὺ φέρεις ἀστερόεντα κύνα.

EJUSDEM in eumdem.

A Cane dum fugio, canis arripit. hei mihi! tellus
In mea fata ſuas, armat & unda, feras.
Jam reſtat cœlo, Lepores, vos condere quanquam
Et cœlum timeo. Nam tenet aſtra canis.

Καλλιμάχου.

Στήλην μητρυιῆς, μικρὰν λίθον, ἔστεφε κοῦρος,
Ὡς βίον, ἠλλάχθαι καὶ τρόπον οἰόμενος·
Ἡ δὲ, τάφῳ κλιθεῖσα, κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα.
Φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

CALLIMACHI in Novercam.

PLACATAM sibi morte ratus puer esse novercam,
Parvo ejus cippo florea serta dabat.
Ille cadens miserum oppressit. Privigne caveto:
In te, etiam tumulo clausa, noverca furit.

Φιλίππου.

Νῆα μὲν ὤλεσε πόντος, ἐμοὶ δ' ἔπορεν πάλι δαίμων
Πλαζομένῳ φύσιος νῆα ποθεινοτέρην.
Πατρὸς ἰδὼν γὰρ ἐγὼ δέμας εἰς ἐμὲ χέρσον ἐλθὸν,
Μουνερέτης ἐπέβην, φόρτος ὀφειλόμενος.
Ἤγαγε δ' εἰς λιμένας με· καὶ ἔσπειρεν δὶς ὁ πρέσβυς,
Νήπιον ἐν γαίῃ, δεύτερον ἐν πελάγει.

PHILIPPI. Puer Patris innatans cadaveri naufragium vitat.

HAUSERAT unda ratem. Naturæ munere partam
Felici se offert altera sorte ratis.
Exanimum cernens genitoris corpus, in illud
Insilio: & notum per mare vector onus.

Sic portum tetigi, vitam bis adeptus ab illo,
Parvulus in terra, grandior in pelago.




Τοῦ αὐτοῦ.

Ψιττακὸς ὁ βροτόγηρυς, ἀφεὶς λυγοτευχέα κύρτον,
Ἤλυθεν εἰς δρυμοὺς αἰθοφυεῖ πτέρυγι.
Αἰεὶ δ' ἐκμελετῶν ἀσπάσμασι Καίσαρα κλεινὸν,
Οὐδ' ἀν' ὄρη λήθην ἤγαγεν οὐνόματος.
Ἔδραμε δ' ὠκυδίδακτος ἅπας οἰωνὸς, ἐρίζων
Τίς φθήσαι δυνάται δαίμονι χαῖρ' ἐνέπειν.
Ὀρφεὺς θῆρας ἔπεισεν ἐν οὔρεσιν, ἐς δέ σε, Καῖσαρ,
Νῦν ἀκέλευστος ἅπας ὄρνις ἀνακρέκεται.

PHILIPPI, de Psittaco fugitivo ad Cæsarem.

In silvam pictis è carcere fugerat alis,
Humanos simulans Psittacus ore sonos.
Absentem memor Augustum dum sæpe salutat,
Illius & nomen per juga celsa refert:
Ad gratum properant carmen; certantque volucres
Reddere facundo gutture, Cæsar, ave.
Blanda feras Orphei traxit lyra. Sed tibi cunctæ
Sponte sua, Cæsar, fausta precantur aves.



Ἀλφειοῦ.

Χειμερίαις νιφάδεσσι παλυνομένα ἰθαγενὴς ὄρνις,
Τέκνοις εὐναίας ἀμφέχεε πτέρυγας,
Μέσφα μιν οὐράνιον κρύος ὤλεσεν· ἦ γὰρ ἔμεινεν
Αἰθέρος οὐρανίων ἀντίπαλος νεφέων.
Πρόκνη καὶ Μήδεια κατ' ἄϊδος αἰδέσθητε
Μητέρες, ὀρνίθων ἔργα διδασκόμεναι.

ALPHEI. Gallina pullos fovens, frigore extinguitur.

DEFENSURA nivem pullis Gallina, ſub alas
    Collegit tremulos, immemor ipſa ſui.
Nec priùs à tenero deſiit grege pellere frigus,
    Quàm rigido cæli concidit icta gelu.
Procne, & tu Medea, rubore offundite vultum.
    Quid deceat matres, vos avis iſta docet.




Φιλίππου.

ΟΥκ ἔτι πυργωθεὶς ὁ φαλαγγομάχας ἐπὶ δῆριν
    Ἄσχετος ὁρμαίνει μυριόδοντας ἐλέφας,
Ἀλλὰ φόβῳ στείλας βαθὺν αὐχένα πρὸς ζυγοδέσμους,
    Ἅρματα διφρηλατεῖ Καίσαρος οὐράνια.
Ἔγνω δ' εἰρήνης καὶ θὴρ χάριν, ὄργανα ῥίψας
    Ἄρεος, εὐνομίης ἀντανάγει πατέρα.

PHILIPPI. De Elephanto Cæſarem ferente.

NON jam confertos Elephas turritus in hoſtes,
    Sævaque terribili prælia dente ruit:
Sed properat timidus loris ſubmittere colla,
    Sidereo ut Numen Cæſaris axe ferat.
Pacis delicias ſentit ferus. Horrida Martis
    Abjicit arma; vehit juſtitiæque patrem.





Ἀδριανοῦ Καίσαρος.

Ἕκτορ, ἀρήϊον αἷμα, κατὰ χθονὸς εἴ που ἀκούεις,
Χαῖρε, καὶ ἄμπνευσον βαιὸν ὑπὲρ πατρίδος.
Ἴλιον οἰκεῖται, κλεινὴ πόλις, ἄνδρας ἔχουσα
Σοῦ μὲν ἀφαυρετέρους, ἀλλ' ἔτ' ἀρηϊφίλους.
Μυρμιδόνες δ' ἀπόλοντο· παρίστασο, καὶ λέγ' Ἀχιλλεῖ
Θεσσαλίην κεῖσθαι πᾶσαν ὑπ' Αἰνεάδαις.

HADRIANI Cæſaris, vel, ut aliis placet, Germanici, in Trojam à Romanis reſtitutam.

ARMIPOTENS Hector, ſi quis tibi ſenſus in umbris,
Reſpira, & patriæ deſine fata queri.
Inclita magnanimis habitatur Troja colonis,
Queis belli egregia ſolus es arte prior.
Myrmidones periere. Fac id quoque diſcat Achilles,
Æneadûm ſubdi Theſſala regna jugo.




Βοηθοῦ.

Εἰ τοῖος Διόνυσος ἐς ἱερὸν ἦλθεν Ὄλυμπον
Κωμάζων λιώαις σύν ποτε καὶ σατύροις
Οἷον ὁ τεχνήεις Πυλάδης ἀρχήσατο κεῖνον,
Ὀρθὰ κατὰ τραγικῶν τέθμια μουσοπόλων,
Παυσαμένη ζήλου Διὸς ἂν φάτο σύγγαμος Ἥρη·
Ἐψεύσω, Σεμέλη, Βάκχον· ἐγὼ δ' ἔτεκον.



Boethi, de Pylade Pantomimo.

Si Bromius saltans cælestem intrasset in aulam,
Cum festo Satyrum Bassaridumque choro;
Orchestræ qualem servata lege decoræ,
Spectandum Pylades, urbe favente, dedit:
Dixisset, versa in melius, matrona Tonantis,
Mentiris, Semele, filius hic meus est.



Γερμανικοῦ.

Ἀντὶ τάφου λιτοῖο θὲς Ἑλλάδα, θὲς δ' ἐπὶ ταύτᾳ
Δούρατα, βαρβαρικᾶς σύμβολα ναυφθορίας.
Καὶ τύμβῳ κρηπῖδα περίγραφε Περσικὸν Ἄρη,
Καὶ Ξέρξην· τούτοις θάπτε Θεμιστοκλέα.
Στάλα δ' ἁ Σαλαμὶς ἐπικείσεται, ἔργα λέγουσα
Τἀμά. τί με σμικροῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε;

Germanici, in Themistoclem.

Tota mihi tumulus sit Græcia: signaque cladis
Barbaricæ, fractas desuper adde trabes.
Pone basim circùm Medi fera prælia belli,
Et Xerxem: subque iis conde Themistoclea.
Denique pro cippo, nostros inscripta labores
Stet Salamin. Magnum non capit urna brevis.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 191. v. 32. Thetis. *lege* Tethys. *Pag.* 228. *v.* 8. Iste: *lege* Istæ. *Pag.* 371. *v.* 13 obsidere. *lege* obsidete. *Pag.* 396. *v* 8. Fœcunda *lege* Fecunda. (*& ubicumque in hac voce, vel in fectis & compositis reperietur diphthongus, tollatur.*) *Pag* 403. *v* *ultimo* saxo. *lege* Saxo. *Pag.* 444. *lin.* 16. tibicinam. tibicinem.

SUMMA PRIVILEGII.

CAUTUM est auctoritate Regis, ne quis in regno ipsius aliisve locis ejus ditioni subjectis, intra sex proximos annos, Librum, cui titulus est, *Joannis Commirii è Societate* JESU *Carmina*, imprimat aut divendat, præter Viduam Simonis Benard, in cujus gratiam toto hujusce Privilegii jure suo cessit Auctor. Qui secus fecerit, mulcta indicta, prout ampliùs in Diplomate regio continetur, coërcebitur. Datum apud Versalias die 11. Martii 1689. Sic signatum de Mandato Regis, DE LA BAUNE.

